Jahresbericht

des

Königlichen Realgymnasiums

mit Höherer Handelsschule in Zittau

für das

Schuljahr Ostern 1907 bis Ostern 1908

durch welchen zugleich zu der

feierlichen Entlassung der Abiturienten am 21. März und zu den öffentlichen Prüfungen der Klassen am 3. und 4. April

im Namen des Lehrerkollegiums ergebenst einladet

Oberstudienrat Rektor Dr. Johannes Schütze

Ritter des Königl. Sächs. Verdienstordens I. Kl.

Dem Jahresberichte geht eine wissenschaftliche Abhandlung des Oberlehrers Dr. Martin Bülz: „Fasti quaestorum, qui ab a. u. c. CCCXXXX ad a. u. c. DCLXXI extra Romam fuerunt“ voraus.

ZITTAU.
Druck von Reinhold Mönch.
1908.

1908. Progr.-No. 733.

FASTI QUAESTORUM,

qui ab a. u. c. CCCXXXX ad a. u. c. DCLXXI extra Romam fuerunt.

P. Sestius.

Liv. IV 50, 2 sq: Cum ...... quaestor P. Sestius eadem violentia coerceri putaret seditionem posse, qua mota erat, misso ad vociferantem quendam militem lictore, cum inde clamor et iurgium oreretur, saxo ictus turba excedit insuper increpante, qui vulneraverat, habere quaestorem, quod imperator esset militibus minatus.

P. Sestius a. 340 = 414 (a Livio c. 51,1 insequentis anni consules nominantur) M. Postumio tribuno militum consulari potestate quaesturam gessit. Hunc in bellum, quod ei adversus Aequos mandatum erat, comitatus est. Postumius cum eos ad Bolas identidem fudisset, oppidum ipsum cepit. Inter oppugnationem militibus se praedam concessurum esse primo pollicitus postea oppido capto fidem mutavit. Paulo post accitus in urbem Romam, quae eo tempore seditionibus tribuniciis agitabatur, revertit. Tum milites insuper saeva atque inhumana eius voce audita in castris contra eum tumultum concitaverunt. Quem P. Sestius, qui a tribuno relictus erat, ut, dum ipse reverteretur, exercitui praeesset, acerbitate sedari posse ratus inter clamorem militum saxo ictus est, ut refert Livius; Zonaras (VII 19) occisum scribit.

Pighius nostrum P. f. P. n. Capitolinum suo iure fecit. Sed cognomina demum inde a temporibus Sullanis publice usurpata esse constat. Quae in Fastis Capitolinis iam a primordiis liberae rei publicae leguntur, postea ficta appositaque esse videntur. Nec magis, quae in eis de stemmatibus gentilibus traduntur, credimus; neque enim, quod ad prima quidem ab u. c. saecula attinet, ullius gentis originem ad avum atque atavum referre licet.

L. Opimius Pansa.

Liv. X 32, 9: Captum quaestorium, quaestorque ibi L. Opimius Pansa occisus. — Cf. ibid. 33, 6.

Postquam a Romanis adversus Samnites a. 459 = 295 in agro Sentinati decertatum est, a. subsequenti M. Atilius Regulus consul[1]) cum exercitu in Samnium, quae ei provincia decreta erat, invasit. Ubi Samnites subito impetum in castra Romana facere ausi a tergo porta decumana, quae haud procul a quaestorio aberat, irruperunt, sc. spe adducti fore, ut pecunia militari praedaque, quae a Romanis in eo seponi consueverat, potirentur. Quaestorium ceperunt ibique Pansam consulis quaestorem interfecerunt.

C. Fulvius.

Liv. XXI 59, 10: Venienti in Ligures Hannibali per insidias intercepti duo quaestores Romani, C. Fulvius et L. Lucretius, cum duobus tribunis militum et quinque equestris ordinis senatorum ferme liberis, quo magis ratam fore cum iis pacem societatemque crederet, traduntur.

C. Fulvius primo Hannibalici belli anno, 536 = 218, quaesturam militarem gessit. Utri consuli, P. Cornelio Scipioni an Ti. Sempronio Longo, additus fuerit, ignoramus. — Hannibal postquam ad Ticinum iterumque sub finem anni[2]) ad Trebiam Romanum exercitum fudit, Gallos Liguresque, qui, cum permultos annos a Romanis exagitati essent, iam dudum rebellaturi erant, ad societatem Poenorum adiunxit. Mox post proelium, quo prope Placentiam a Romanis non prospere res gesta erat, in

---

[1]) cf. Zonar. VIII 1.

[2]) Polyb. III 72: οὔσης τῆς ὥρας περὶ χειμερινὰς τροπάς.

Ligures processit. Qui quaestorem Romanum C. Fulvium simul unaque cum L. Lucretio collega, dum apud eos, ut rem Romanam sustentarent, versantur, per insidias ceperunt captosque Hannibali, ut tamquam pignora fidei essent, dediderunt.

L. Lucretius.

L. Lucretius a. 536 = 218 quaestor a Liguribus cum Romanis rebellantibus Hannibali deditus est; vide quae supra sub C. Fulvio dicta sunt.

Ti. Sempronius Blaesus.

Liv. XXII 31, 5: Ad mille hominum cum Ti. Sempronio Blaeso quaestore amissum. Classis ab litoribus hostium plenis trepide soluta in Siciliam cursum tenuit.

Blaesus Cn. Servilio Gemino cos. 537 = 217 quaestor adiunctus erat. Qui postquam Kal. Mart. Romae magistratum iniit[1]), exinde vere in Gallia Cisalpina prope Ariminum cum exercitu erat[2]) leviaque proelia cum Gallis seditiosis fecit. Cum C. Flaminium collegam exercitumque eius ad Trasumenum lacum ab Hannibale superatum atque caesum esse comperisset, ad urbem iter intendit, legiones ex senatus decreto Q. Fabio Maximo dictatori tradidit. A quo paulo post oras maritimas Italiae et insularum custodire, classem Punicam persequi, bellum in Africam transferre iussus est. Cum classe centum viginti navium Sardiniae et Corsicae oras circumvectus postquam complures expeditiones prospero eventu fecit, in Africam traiecit. Ad litus cum accessisset, milites in agros praedatum misit. Qui dum incautius discurrunt, subito in insidias inciderunt et cum magna clade ad oram reiecti sunt. Circiter mille milites, in his Blaesum quaestorem, amissos esse Livius tradidit[3]).

L. Atilius.

Liv. XXII 49, 15 sq: Quadraginta quinque milia quingenti pedites, duo milia septingenti equites .... caesi dicuntur; in his ambo consulum quaestores, L. Atilius et L. Furius Bibaculus.

L. Atilius a. 538 = 216 alterutri anni consulum quaestor additus erat; L. Aemilio Paulo an C. Terentio Varroni, traditum non est. In proelio Cannensi una cum Bibaculo collega occisus est.

L. Furius Bibaculus.

De Bibaculo nihil, nisi eum in pugna ad Cannas facta a. 538 = 216 quaestorem caesum esse, innotuit; vide supra L. Atilium.

Cn. Cornelius L. f. L. n. Lentulus.

Liv. XXV 17, 6 sq: Capitis tantum Gracchi hostes potiti sunt; eo delato ad Hannibalem missus ab eo confestim Carthalo, qui in castra Romana ad Cn. Cornelium quaestorem deferret. Is funus imperatoris in castris celebrantibus cum exercitu Beneventanis fecit.

Ibid. 19, 4: Equestre proelium erat, cum procul visus Sempronianus exercitus, cui Cn. Cornelius quaestor praeerat, utrique parti parem metum praebuit, ne hostes novi adventarent.

Lentulus, qui secundum fastos consulares ad a. 553 = 201 in lapidibus servatos L. f. L. n. nominatur, a. 538 = 216 tribunus militum fuit. Post cladem Cannensem consulem L. Aemilium Paulum saucium servare frustra conatus Poenos celeritate equi effugit. — A. 542 = 212 quaestor Ti. Sempronio Graccho proconsuli adiunctus est. Qui postquam iam a. 540 = 214 procos. prospere adversus Poenos et Hannonem ducem apud Beneventum pugnavit, a. 541 = 213 cos. iterum in Lucania cum volonum sociorumque exercitu erat. A. 542 = 212, in quem ei imperium ac provincia prorogata est, a consulibus Q. Fulvio et Ap. Claudio ex Lucanis Beneventum cum equitatu ac levi armatura venire iussus legionibus castrisque Lentulum praefecit. In insidias deductus proconsul a Magone inter-

[1]) Liv. ib. 1, 4.
[2]) Polyb. III 77, 2; 86, 1.
[3]) XXII 31, 1 sqq; cf. Polyb. III 96, 10 sqq.

fectus est. Post mortem Gracchi cum Hannibal ad Capuam castra movisset, ut urbem, quae a consulibus obsidebatur, liberaret, atque equestri proelio cum Romanis confligere coepisset, ex improviso Lentulus Gracchi exercitum adduxit; inde utrimque in castra reditum est. Sed exercitus, qui vivo Graccho in proeliis magnam virtutem praestiterat, post mortem ducis sibi iam non confidens paulo post a signis discessit. Reliquias quaestor collegit. — A. 549 = 205 aedilitate curuli una cum Lucio fratre functus est. A. 553 = 201, quo secundum Punicum bellum confectum est, consul fuit. Livius (XXXI 50,11) Cn. Cornelio Lentulo proconsuli imperium Hispaniae provinciae in annum 554 = 200 delatum esse scribit. Sed dubium esse non potest, quin aut ipse Livius errore captus sit aut interpolator Lentuli cognomen falso adiecerit. Immo Cn. Cornelius Blasio annis 554—556 = 200—198 Hispaniam citeriorem obtinuit[1]).

C. Flaminius C. f. C. n.

Liv. XXVI 47,8: (Quae in urbe Carthagine Nova capta erant,) haec omnia C. Flaminio quaestori adpensa adnumerataque sunt.

Ibid. 49,10: Ceterorum (obsidum) curam benigne tuendorum C. Flaminio quaestori attribuit (P. Scipio).

Cf. Polyb. X 19,1.

P. Cornelius Scipio, qui Poenos ad Zamam devicit, postquam Publius pater et Gnaeus patruus in Hispania caesi sunt a. 543 = 211, suffragio populi cum imperio proconsulari eo missus est; extrema aestate anni 544 = 210 Roma profectus initio subsequentis in provinciam pervenit. Ita res in singulos annos digero; Livius (XXVI 20,7) iam a. 543 = 211 Scipionem ab urbe profectum esse putat. — Primo vere a. 545 = 209 Scipio, cui C. Flaminius quaestor attributus erat, a Tarracone progressus cum flumen Hiberum traiecisset, Carthaginem Novam, nobilissimam Hispaniae urbem, oppugnare statuit. Tempus, quo eam ceperit, hinc concluditur, quod C. Laelius, legatus Scipionis, qui nuntius victoriae missus erat, die quarto et tricesimo post, quam a Tarracone profectus erat, exitu eius anni Romam pervenit[2]). Captus est apparatus ingens belli, auri argentique magna vis, vasorum argenteorum numerus magnus: haec omnia vendenda C. Flaminio quaestori appensa annumerataque sunt, ut manubias ad quaestores urbanos, qui aerario praeessent, referret. Obsidum civitatum Hispaniae, qui permulti capti in potestatem Romanorum venerant, pars quaestori asservanda attributa est. — Inde quaestorem una cum proconsule Tarraconem in hiberna[3]) revertisse verisimile est. A. 561 = 193 praetura, a. 567 = 187 consulatu functus est. C. Flaminius secundum Fastos Capitolinos, in quibus ad a. 567 = 187 C. f. C. n. nominatur — si eis fides habenda est — C. Flaminii C. f. L. n., qui cos. II ad lacum Trasumenum superatus caesusque erat, filius fuisse videtur.

M. Porcius M. f. Cato.

Cic. Brut. 15,60: (Cethegus) consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quaestorque his consulibus M. Cato, modo plane annis CXL ante me consulem.

Cic. Cat. mai. 10,32: Hoc queo dicere non me quidem eis esse viribus, quibus aut miles bello Punico aut quaestor eodem bello . . . . . . fuerim.

Ib. 4,10: Cumque eo (scil. Q. Fabio Maximo) quartum consule adulescentulus miles ad Capuam profectus sum quintoque anno post ad Tarentum. Quaestor deinde quadriennio post factus sum, quem magistratum gessi consulibus Tudi'ano et Ceth.go, cum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciae de donis et muneribus fuit.

Ib. 13,45: Sodalitates ... me quaestore constitutae sunt sacris Idaeis Magnae Matris acceptis.

Plut. Cat. mai. 3: *Κατελθὼν (εἰς Ῥώμην) . . . . . χιλιαρχίας ἔτυχε πρῶτον, εἶτα ἐταμίευσεν. . . . . . Ταμίας αὐτῷ (Σκηπίωνι τῷ μεγάλῳ) πρὸς τὸν ἐν Λιβύῃ πόλεμον συνεκπεμφθεὶς . . . . . . ἐπαρρησιάζετο πρὸς αὐτόν. . . . . . . Εἰπόντος δὲ τοῦ Σκηπίωνος, ὡς οὐδὲν δέοιτο ταμίου λίαν ἀκριβοῦς πλησίστιος ἐπὶ τὸν πόλεμον φερόμενος . . . . . . ἀπῆλθεν ὁ Κάτων ἐκ Σικελίας.*

---

1) Wilsdorf Fast. Hisp. prov. = Stud. Lips. I. 80.
2) Liv. XXVII 7,1.
3) Ibid. XXVI 51,10.

Liv. XXIX 25, 10: (P. Scipio edixit) cum viginti rostratis se ac L. Scipionem ab dextro cornu, ab laevo totidem rostratas et C. Laelium praefectum classis cum M. Porcio Catone — quaestor is tum erat — onerariis futurum praesidio.

Nep. Cat. 1, 3: Quaestor obtigit P. Africano consuli, cum quo non pro sortis necessitudine vixit: namque ab eo perpetua dissensit vita. ..... § 4: Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat.

Ib. 2, 2: P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priori consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere.

[Aur. Vict.] de vir. ill. 47, 1: Marcus Porcius Cato ...... quaestor sub Scipione fortissimus ...... fuit.

Hieron. ad Euseb. Chron. a. Abr. 1777 (514 = 240): Q. Ennius poeta Tarenti nascitur, qui a Catone quaestore Romam translatus habitavit in monte Aventino.

M. Porcius M. f. Cato (Fast. Cap. ad a. 559 = 195) a. 520 = 234 natus postquam a. 547 = 207 tribunus militum fuit, a. 550 = 204 quaesturam gessit. Quadriennio enim post, quam cum Q. Fabio Maximo V cos. a. 545 = 209 ad Tarentum miles profectus erat, quaestor factus P. Tuditano M. Cethego a. 550 = 204 coss. munere functus est Cicerone teste. Difficultatem verba Nepotis (Cato 1, 3: *quaestor obtigit P. Africano consuli* [a. 549 = 205]) afferre videntur. Fuerunt, qui Nepotem errore captum *proconsuli* cum voce *consuli* confudisse putarent. Vero tum cum Cato quaesturam iniit, Scipio, cui post sortitionem provinciarum quaestoriarum praesto esse debebat, consulatum gerebat; demum Id. Mart.[1]) a. 550 = 204 magistratus anno peracto pro consule esse coepit. — Cato quaestor Scipionem proconsulem in Siciliam ad bellum secutus est[2]). Scipio enim, cui iam consuli in a. 549 = 205 Sicilia provincia nominata erat permissumque, ut in Africam traiceret, cum copiis supplendis, exornandis, exercendis annum magistratus peregisset, prorogato imperio in provincia remanere a senatu iussus erat. Cato vix advenerat, cum inimicitias cum Scipione suscepit, quas perpetua vita mortuo quoque eo retinuit[3]). Tunc enim disciplina exercitus omnis licentia valde corrumpi coepta esse videbatur[4]). In Bruttiis sub finem Hannibalici belli milites Romani latrociniis magis quam bello res gerebant; velut Locris, quos Scipio provinciae finibus egressus pulso Punico praesidio fugatoque Hannibale receperat, Q. Pleminius legatus relictus summam libidinem et saevitiam in cives exercuerat. Scipio ipse culpa non caruisse videtur, quippe cuius nimia indulgentia iam a. 548 = 206 Sucrone Hispaniae seditio in exercitu orta esset. Cato Scipioni, quae essent eius licentiae causae, magna loquendi libertate exprobrare ausus est, sed repulsam tulit. Tum, id quod facere ei lege non licebat, nec iussu nec voluntate proconsulis e provincia Romam revertit. Quo cum interim Locrensium legati, qui de Pleminii iniuria quererentur, advenissent, rumor de Scipione, tamquam in Sicilia mores Graecos ipse adscisceret militesque voluptatibus depravari sineret, perlatus erat. De his rebus in senatu actum est. Q. Fabius Maximus, cui Cato aderat, Scipionem, quod de provincia decessisset in Bruttios iniussu senatus, revocandum atque de imperio eius abrogando ad populum per tribunos plebis ferendum esse censuit. Vicit tamen Q. Metelli sententia, cui placuit, ne Scipio indicta causa damnaretur, M. Pomponium Mathonem, cui Sicilia provincia in annum 550 = 204 evenerat, quam primum eo ad rem cognoscendam proficisci[5]). Aestate Matho in Siciliam abiit. Venienti Scipio non solum crimine, tamquam si quae Locrenses gesta quererentur, ipsius voluntate facta essent, sese purgavit, sed etiam copias ad expeditionem paratissimas esse comprobavit. Tum senatus ei, ut quam primum in Africam bellum transferret, permisit. Scipio satis omnibus rebus instructis paratisque Lilybaeum classem conduxit eodemque pedestres copias contraxit. Priusquam naves solveret, Catonem, qui interea Roma rursus ad exercitum redierat, una cum C. Laelio praefecto classis viginti longis navibus onerariis a laevo cornu praesidio esse iussit. In Africa Cato cum Scipione ad Uticam atque inde, cum hic adventu Hasdrubalis et Syphacis ab obsidione oppidi depulsus esset, in hiberna profectus est[6]). —

Cato postquam vere anni 551 = 203 e provincia decessit, in Sardiniam venit. Ubi Q. Ennium poetam, qui tum in castris Romanis stipendia merebat, invenit indeque abiens Romam deduxit[7]). [Aur.

---

1) Mommsen Röm. Staatsrecht I. 493.
2) praeter locos supra citatos cf. Plin. hist. nat. praef. 30.
3) Liv. XXXVIII 54, 1; Nep. Cat. 1, 3; Plut. Cat. mai. 3.
4) Liv. XXIX 6; Polyb. XI 25.
5) Liv. XXIX 13, 2; 19—22; Plut. Cat. mai. 3.
6) Liv. ib. 35, 12 sq.
7) Nep. Cat. 1, 4; cf. Hieron. l. c.

Vict.] ib. 1 ex. Graecas litteras tum Catonem in Sardinia ab Ennio didicisse nescioquo iure testatur. Sed quamquam Catoni Ennius *familiaris noster* erat (apud. Cic. Cat. mai. 4,10), tamen illum cum hoc amicitiae necessitudine coniunctum fuisse credi vix licet: Non comes in cohorte Catonis, immo miles simul e Sardinia Romam transvectus est[1]. Quo optime quadrat, quod Cicero (Tusc. I 2, 3) Catonem postea M. Nobiliori, quod in provinciam poetas deduxisset, tamquam probrum obiecisse scribit. — Cato vivus hoc uno cognomine eoque primus Porciorum appellatus est, mortuus demum Censorius, Sapiens, Orator, Priscus, Senex cognominatus est[2].

C. Laelius C. f. C. n.

Liv. XXX 33, 2: (Scipio) Laelium, cuius ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatus consulto opera utebatur, cum Italico equitatu ab sinistro cornu, Masinissam Numidasque ab dextro opposuit.

C. Laelius C. f. C. n.[3] fuit familiarissimus ille P. Scipionis maioris amicus, a quo gloriae laborisque semper socius habitus est[4]. Cui proconsuli in Hispania ab a. 545 = 209 usque ad a. 548 = 206, dum praefecturam sociorum navalem gerit, quamquam nondum ordinis senatorii erat, legatus operam suam studiumque navavit. A. 549 = 205 aestate Scipioni, qui tum Carthaginis excidium animo agitans e Sicilia in Africam cum legionibus transire parabat, iterum praefectus classis aderat; a quo in Africam cum classe praedatum missus inde cum magna praeda revectus est. Vere anni subsequentis cum Scipio proconsul legiones transveheret, C. Laelius una cum M. Porcio Catone tum quaestore viginti rostratis navibus praesidio onerariis fuit. A. 551 = 203 Laelius adiuvante Masinissa Syphacem, Numidarum regem, vicit vivumque ad Scipionem perduxit. A quo cum captivo legatisque Masinissae missus Romam venit quaeque in Africa gesta essent, in senatu exposuit. In urbe quaesturam in annum 552 = 202 petivit[5] quaestorque creatus, cum semper fere provinciae quaestoriae sorte distribuerentur[6], extra sortem ex senatus consulto Scipioni adiunctus est. Deinde in Africam ad exercitum venit. In proelio Zamensi equitatui Italico praeerat; virtute eximia pugnae momentum attulit. Postquam enim una cum Masinissa initio pugnae Carthaginienses equites reppulit repulsosque per aliquantum spatii persecutus est, revertens in aversam peditum aciem incurrit equitumque impetu adeo perculit, ut terga verterent[7]. Post proelium Laelius Romam victoriae nuntius a Scipione missus est[8]. — A. 557 = 197 aedilitate plebeia, a. 558 = 196 praetura, a. 564 = 190 consulatu functus est. — Pater fuit C. Laelii illius Sapientis, cuius cum Scipione Aemiliano amicitia maxime memorabilis erat[9].

L. Postumius Tympanus.

Liv. XXXIV 47, 2: In portam quaestoriam irruperant Galli resistentisque pertinacius occiderant L. Postumium quaestorem, cui Tympano fuit cognomen, et M. Atinium et P. Sempronium praefectos socium et ducentos ferme milites.

Ti. Sempronius Longus cos. a. 560 = 194, quo ei Italia provincia decreta erat, in Galliam Cispadanam, quae tunc cum Italia coniuncta erat — demum a. 673 = 81 peculiaris provincia a Sulla constituta est[10] — cum exercitu profectus est. Ubi in Boiorum agrum, qui, ut cum Romanis rebellarent, a Boiorige rege impulsi erant, legiones duxit. Paucis diebus intermissis hostes castra Romana simul ab omni parte aggressi sunt. Postquam diu in duabus principalibus portis pugnatum est, Boii ab aversa castrorum parte decumana porta cum irrupissent, resistentes Romanos conciderunt, in his Tympanum consulis quaestorem.

---

1) G. E. Weber Cato mai. sive de M. Porcii Catonis vita et moribus p. 16 sq.
2) G. Vollertsen Quaestionum Catonianarum capita duo p. 20.
3) Fast. Cap. ad a. 564 = 190.
4) Polyb. X 3, 2.
5) Laelius quoniam praefectus sociorum navalium fuit, e civitate nescioqua foederata ortus erat. Itaque ante comitia quaestoria civitate Romana donatus est.
6) Lange Römische Altertümer I³ 896 sq.
7) Liv. XXX 33, 16; 35, 1; Polyb. XV 9, 8; 12, 5; 14, 7; App. Lib. 41; 44; Zonar. IX 14; Frontin. strateg. II 3, 16.
8) Liv. ib. 36, 3.
9) Cic. Phil. XI 7, 17.
10) Zumpt Stud. Rom. 44 sq; 65; Mommsen CIL I p. 118.

C. Furius Aculeo.

Liv. XXXVIII 55: Ad ... praetorem reus extemplo factus L. Scipio. Simul et delata et recepta nomina legatorum eius, A. et L. Hostiliorum Catonum, et C. Furii Aculeonis quaestoris. ...... Scipio et A. Hostilius legatus et C. Furius damnati: quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse, quam in aerarium rettulerit; A. Hostilium octoginta pondo auri et argenti quadringenta tria; Furium quaestorem auri pondo centum triginta, argenti ducenta. Has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inveni.

Aculeo a. 564 = 190 quaestor fuit additus L. Cornelio Scipioni consuli Africani maioris fratri, qui, postquam cum Antiocho debellavit, Asiagenus appellatus est. Qui cum ei Graecia et Asia provinciae et bellum contra Antiochum a senatu decretum esset[1]), postquam milites Id. Quintil. Brundisium convenire iussit[2]), una cum quaestore eo profectus est. *Per eos dies, quibus est profectus ad bellum consul, ludis Apollinaribus, ante diem quintum Idus Quintiles, caelo sereno interdiu obscurata lux est, cum luna sub orbem solis subisset*[3]); qui dies — adeo illis temporibus fasti perturbati erant — quarto decimo diei mensis Martii secundum correctam fastorum rationem respondet. — Postquam ad oram Epiri naves appulit, pedestri itinere ad Hellespontum legiones duxit; neque ante mensem Novembrem in Asiam transmisit[4]). Proelium ad Magnesiam, quo Antiochum devicit, sub ipsum anni finem commisit[5]); deinde Ephesum in hiberna iit. Scipio simulque Aculeo vere insequentis anni cum e provincia decessissent, Delum profecti sunt[6]), unde in Italiam reverterunt. — L. Scipio a. 567 = 187 una cum quaestore pecuniae a rege captae accusatus et damnatus est. Rumor enim Romam perlatus erat, tamquam Scipiones, quo aequiores pacis condiciones ferrent, ab Antiocho pecunia corrupti essent. Duo igitur Q. Petillii trib. pl. a. 567 = 187 primum a Lucio pecuniae et in bellum impensae et e provincia praedando exactae rationem postulaverunt. Tum Publius, qui Lucio fratri legatus fuerat, rationis tabulas a quaestore confectas, quas Lucius attulerat, suis ipse manibus indignans concerpsit. Deinde iidem illi tribuni Publio ter diem in senatu dixerunt, ut pecuniae a rege acceptae neque in aerarium relatae rationem reddere legibus iuberetur. Cum is causam dicere gravatus esset atque etiam, ne a tribunis vexaretur, ultro in exsilium isset, Petillii M. Catone auctore rogationem apud populum promulgaverunt, qua quaestionem extraordinariam de pecunia Antiochi a senatu institui iuberet. Priusquam rogatio accepta est, C. Minucius Augurinus trib. pl. Lucio Scipioni in comitiis plebis tributis multam irrogavit; sed iudicium factum non est, quia lege Petillia interim perlata Minucius Scipionem crimine incessere desiit. Quaestionem exercuit Q. Terentius Culleo praetor peregrinus. L. Scipio et C. Furius peculatus rei facti sunt; hic teste Antiate Valerio centum triginta pondo auri, ducenta argenti plus accepisse convictus est, quam in aerarium rettulisset. Damnatus et pecuniarum summas in publicum reddere iussus est. Sed praedes eum eodem die quaestoribus urbanis dedisse Livius (XXXVIII 58, 1) testatur. Tempus hinc definitur, quod Cn. Manlius, qui a. d. III. Non. Mart. a. 567 = 187 de Gallis triumphum detulit, consulto serius egit, *ne Q. Terentio Culleone praetore causam lege Petillia diceret et incendio alieni iudicii, quo L. Scipio damnatus erat, conflagraret*[7]). — Ludovicum Langium secutum me esse scias; cuius causae disquisitionem vide II² 224 sqq; 549; cf. Pauly-Wiss. Realencycl. IV 1472 sqq. C. Furius non idem fuit, qui a. 571 = 183 trib. pl. legem Furiam de testamentis tulit[8]).

Q. Fabius.

Liv. XXXIX 29: L. Manlius proconsul pronuntiavit in senatu decem milia pondo argenti et octoginta auri Q. Fabium quaestorem advehere.

Q. Fabius a. 568 = 186 quaestor additus fuit L. Manlio Acidino, qui a. 566 = 188 praetor Hispaniam citeriorem provinciam sortitus erat[9]). Qua in provincia cum imperio proconsulari iussus

[1]) Liv. XXXVII 1.
[2]) ib. 4.
[3]) ib., cf. Ideleum ap. Fischer Röm. Zeittafeln 101 sq.
[4]) Liv. ib. 33, Polyb. XXI 10, 6; cf. Preller Röm. Myth. I.³ 305.
[5]) Liv. ib. 37, 39.
[6]) Bull. hell. VI 30.
[7]) Liv. XXXIX 6.
[8]) Lange II² 230 sq.
[9]) Liv. XXXVIII 35, cf. XXXIX 21.

manere a. 568 = 186 cum Celtiberis signis collatis eventu incerto conflixit. Qui nocte discesserunt; paucos post dies proelio cum Romanos ad Calagurrim oppidum denuo lacessivissent, superati sunt. Livius, nisi novus praetor successor missus exercitum in hiberna deduxisset, futurum fuisse, ut subigerentur, scribit. A. 569 = 185 ineunte L. Manlius ex Hispania rediit ovansque urbem iniit. In senatu se decem milia pondo argenti et octoginta auri, quae Q. Fabius ex provincia revertens Romam adveheret, ad quaestores urbanos in aerarium publicum delaturum esse pronuntiavit. — Amplius de Q. Fabio nihil innotuit.

Terentius Varro.

App. Hisp. 56: *Τοῦ .... αὐτοῦ χρόνου* (versus finem belli Vaccaeorum) ...... *Λυσιτανοὶ .... Πουνίκου σφῶν ἡγουμένου τὰ Ῥωμαίων ὑπήκοα ἐλῄζοντο καὶ τοὺς στρατηγοῦντας αὐτῶν, Μανίλιόν τε καὶ Καλπούρνιον Πίσωνα, τρεψάμενοι κτείνουσιν ἑξακισχιλίους καὶ ἐπ' αὐτοῖς Τερέντιον Οὐάρρωνα ταμίαν.*

Varro in Hispania quaestura functus est; utrum in citeriore, an in ulteriore, Manilio an Pisone praetore, ignoramus. A. 600 = 154 in provincia fuit. Eo anno subito tam gravis Hispaniae gentium motus exortus est[1]), ut Romanis mutandi comitia causa fieret; inde enim ab anno 601 = 153 consules non Id. Mart., sed iam Kal. Jan. magistratum inibant[2]). Tunc enim Lusitani duce Punico regulo in ulteriorem provinciam transgressi sunt tantumque terrorem intulerunt, ut ad eos repellendos etiam citerioris provinciae et praetore et exercitu opus esset. Iunctis duobus exercitibus tamen Romani proelio ab eis victi sunt, in quo caesi traduntur sex milia militum, in eis Varro[3]). — Wilsdorf Fast. Hisp. prov. = Stud. Lips. I 95 sq. verba Appiani causa non satis iusta prolata nequiquam in suspicionem vocavit.

L. Tremellius Scrofa.

Varro de re rust. II 4, 1 init.: Avus meus (Tremellius inquit) primum appellatus est Scrofa; qui quaestor cum esset Licinio Nervae praetori in Macedonia provincia relictus, qui praeesset exercitui, dum praetor rediret, hostes arbitrati occasionem se habere victoriae impressionem facere coeperunt in castra. Avus cum cohortaretur milites, ut caperent arma atque exirent contra, dixit celeriter se illos ut scrofa porcos disiecturum; id quod fecit. Nam eo proelio hostes ita fudit ac fugavit, ut eo Nerva praetor imperator sit appellatus, avus cognomen invenerit, ut diceretur Scrofa.

Liv. epit. LIII: Appius Claudius consul (a. 611 = 143) Salassos, gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quaestore cum exercitu caesus est. Q. Caecilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit.

Eutrop. IV 15: In Macedonia Pseudoperseus, qui se Persei filium esse dicebat, collectis servitiis rebellavit et, cum sexdecim armatorum milia haberet, a Tremellio quaestore superatus est.

Livius Scrofam utrum a. 611 = 143, quo Ap. Claudius consulatum gessit, an a. 612 = 142, quo Q. Caecilius Metellus pro consule fuit, quaestura functum esse arbitratus sit, e contextu epitomae non satis liquet. Eutropius postquam res a Scrofa gestas exposuit, eodem tempore Metellum in Celtiberia proeliatum esse narrat. Qui teste Valerio Maximo (IX 3, 7) in provincia consul prius a. 611 = 143, deinde pro consule 612 = 142 cum exercitu fuit. Unde annum quaesturae Tremellianae certius definire non licet. — Cum Macedonia a Romanis stipendiaria facta in provinciae formam redacta esset, seditio exorta est. Macedo quidam, qui se Alexandrum Persei filium esse simulans a popularibus suis appellari patiebatur, eos ut cum populo Romano rebellarent, incitavit; brevi tempore cum satis magnum armatorum numerum coegisset, cum L. Tremellio, qui a Licinio Nerva praetore, dum ipse abesset, exercitui praefectus erat, congressus est. Castra Romana subito adortus tamen cum a quaestore facili negotio superatus esset, usque in Dardaniam repulsus est; Macedonia exin recepta est neque unquam postea rebellavit. Ob eam victoriam, quae ductu auspicioque praetoris parta erat, milites Nervam more vetusto imperatorem salutaverunt. — Quaestor avus fuit Cn. Tremellii Scrofae illius, qui

---

1) App. ib; 44; Diodor. XXXI 50.

2) CIL I p. 364; Cassiodor. chron. ad a. 601; Liv. epit. XLVII, ubi qui annus exhibetur DXCVIII, est a. 601 Varr.

3) cf. Liv. ib; Obseq. 17.

cum Varrone, Cicerone, Attico familiaritate coniunctus erat. Unde in gentem Tremelliam Scrofae cognomen, quo noster appellatus est, venerit, Varro nepotem ipsum enarrantem facit l. l. De alia eius cognominis explicandi ratione vide Macrob. Sat. I 6.

Ti. Sempronius Ti. f. P. n. Gracchus.

Gell. Noct. Att. VI 9,12 (testimonium Valerii Antiatis e l. historiarum XXII): Ti. Gracchus, qui quaestor C. Mancino in Hispania fuerat, et ceteri, qui pacem speponderant.

Plut. Ti. Gracch. 5,1: *Αἱρεθεὶς ταμίας ἔλαχε τῶν ὑπάτων Γαΐῳ Μαγκίνῳ συστρατεύειν ἐπὶ Νομαντίνους.* — Cf. 6,1: *πινακίδες ... τοῦ Τιβερίου, γράμματα καὶ λόγους ἔχουσαι τῆς ταμιευτικῆς ἀρχῆς.*

Ib. 8,4: *Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Γάιος ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν, εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυρρηνίας τὸν Τιβέριον καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ βαρβάρους, τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κακῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν.*

Vell. II 2,1: Tiberius Gracchus ......, quo quaestore et auctore id foedus (a Mancino) ictum erat.

Cic. de har. resp. 20,43: Ti. Graccho invidia Numantini foederis, cui feriendo, quaestor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, et in eo foedere improbando senatus severitas dolori et timori fuit.

[Aur. Vict.] de vir. ill. 64,1: Ti. Gracchus ...., quaestor Mancino in Hispania, foedus eius flagitiosum probavit. § 2: Periculum deditionis eloquentiae gratia effugit.

Ti. Gracchus, frater Gaii maior natu, clarissimus ille vir plebis Romanae amantissimus, a. 608 = 146 in Africa in exercitu P. Scipionis Aemiliani proconsulis fuit murumque Carthaginis suburbanum teste C. Fannio primus ascendit. Non. Dec. 616 = 138 quaesturam iniit; Hispania citerior ei provincia et C. Hostilius Mancinus consul obvenit. Quocum ad bellum Numantinum profectus est. Cum eo per Etruriam vere a. 617 = 137 iter faceret, vastitatem agrorum et miseriam plebis summo cum dolore animadvertit, ut testatur Gaius frater ap. Plut. Ti. Gracch. 8; quam ut levaret, tribunus plebis factus a. 621 = 133 agrarias leges promulgavit. — In Hispania consul cum iam saepius rem male gessisset, postremo castris exutus cum exercitu a Numantinis undique circumclusus ita obsidione tenebatur, ut spes nulla eius strage servandi esset; Graccho potissimum auctore legatos misit, qui pacem peterent. Numantini autem cum foedus, quod Q. Pompeius a. 614 = 140 cum eis inierat, a populo Romano firmatum non esse reminiscerentur[1]), pacem nisi consul, quaestor, legati, tribuni militum senatui ratam fore spopondissent, se facturos esse negaverunt. Quod eis necessario concessum est. Gracchus unus ex voluntate Numantinorum de pacis condicionibus cum eis egit. Patris enim Gracchi memoriam retinebant; qui cum a. 575 = 179 in Hispania citeriore pro praetore esset, foedus cum Celtiberis icerat et postea, ut populus Romanus in eo, quod convenerat, maneret, effecerat. Ita noster legatus missus de pace cum Numantinis collocutus est; quae his condicionibus aequis convenit, ut Numantini in libera civitate pace uterentur, Romani obsidione soluti incolumes a Numantia discederent. Ita viginti milia civium Romanorum praecipua opera quaestoris servata sunt[2]). Iam legiones in itinere erant, cum Gracchus rationum tabulas ceratas, quae ab eo confectae erant, in castris relictas esse sensit; statim paucis comitibus ad oppidum rediit et eas recepit; de qua re vide Nitzsch Die Gracchen und ihre nächsten Vorgänger 279. — Mancinus magistratus anno nondum exacto — qui ei successit, Lepidus eius collega nominatur[3]) — a senatu Romam revocatus est. Illis enim temporibus in urbe erant, qui nisi hoste devicto et in deditionem accepto pacem iustam atque honestam esse negarent; atqui foedus *ἐπὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ Ῥωμαίοις καὶ Νομαντίνοις* (App. l. c.) ictum erat. Qui a. 618 = 136 in senatu patribus persuadebant, ut foedus tamquam iniussu populi factum irritum esse censerent. Quod quamquam ipse Gracchus pro eo, cuius auctor exstiterat, servando summopere nitebatur, tamen senatus improbavit; culpam in consulem et quaestorem coniecit. P. Philus et S. Serranus consules ex senatus consulto apud populum rogationem promulgaverunt, qua perlata Mancinus, ut tamquam piaculum esset foederis soluti, Numantinis per patrem patratum deditus est. Gracchus nisi a P. Scipione Aemiliano

---

[1]) Q. Claudius Quadrigarius ap. Peter Hist. Rom. frgg. p. 148.

[2]) Plut. Ti. Gracch. 5—7; compar. 3; Liv. ep. LV; [Aur. Vict.] de vir. ill. 59,5; Dio C. frg. Peir. 83; Gell. VII 9,12.

[3]) Diodor. XXXIII 27; App. Hisp. 80.

sustentatus esset, eadem, qua Mancinus, senatus severitatis flamma correptus esset. Ita iratus ab optimatibus descivit et ad populares accessit; quibus tamquam solus exercitum consularem servavisset, acceptissimus factus est[1]. — Restat, ut de aetate, qua Gracchus quaesturam adeptus est, paucis dicamus. Quia a. 621 = 133, quo mortuus est, nondum triginta annos habebat[2], sub fin. a. 591 = 163 vel init. a. 592 = 162 natus est. Itaque non supra viginti quinque annos natus quaesturam iniit. Initio septimi a. u. saeculi ne quis nisi decem stipendiis confectis quaesturam peteret, lege Villia annali cautum erat[3]. Quoniam plerique septimum decimum vitae annum agentes ad primam militiam proficiscebantur, annus, ante quem fere quaesturam peti lege non licebat, vicesimus septimus erat. Sed interdum etiam qui nondum militari aetate erant, uno vel duobus annis minores septendecim, militiam capessebant. Quibus a. minimum 542 = 212 concessum est, ut stipendia ante tempus emerita imputarentur[4]. Ita fieri poterat, ut quaesturam uno vel duobus annis ante sollemnem aetatem peterent[5]. Ea vitae aetate et Ti. et C. Gracchi cum minores septendecim annis stipendia mereri coepissent, quaesturam inierunt[6].

Q. Fabius Q. Aemiliani f. Q. n. Maximus Allobrogicus.

Val. Max. VIII 15, 4: (Scipionem) Aemilianum ...... cum quaestoriis comitiis suffragator Q. Fabii Maximi fratris filii in campum descendisset, consulem iterum reduxit (populus).

Maximus filius fuit Q. Fabii Maximi illius Aemiliani, qui filius cum esset L. Aemilii Pauli et frater P. Scipionis Aemiliani, e gente Aemilia a Q. Fabio Maximo adoptatus in Fabiam transierat. Allobrogici cognomine postea e victoria, qua a. 633 = 121 cos. cum Allobrogibus debellavit, appellatus est[7]. — A. 619 = 135 Q. Fabio quaesturam petenti Scipio Aemilianus patruus comitiis suffragatus est; quamquam factum eum esse quaestorem disertis verbis non traditum est, tamen e loco Appianeo (Hisp. 84), qui ad nostrum respicit, summa cum verisimilitudine conicitur. Patruum anno insequenti in Hispaniam secutus est. Scipio enim, cum bellum Numantinum nimis duceretur, consul iterum factus et Hispaniam citeriorem provinciam obtinere iussus est. Cum dilectum habere a patribus, qui ei invidebant, vetitus esset, tria milia quingentos voluntarios milites a sociis submissos et quingentos clientes amicosque conduxit teste Appiano Fabioque nostro in provinciam deducendos dedit. Extrema aestate Scipio ad Numantiam oppugnandam castra movit. Ubi noster una simulque cum patre Q. Fabio Aemiliano versabatur, Appiano auctore, cuius testimonium du Rieu nequiquam argumentis non satis gravibus prolatis impugnavit[8]. Quaesturae anno peracto, antequam oppidum autumno a. 621 = 133[9] expugnaretur, e provincia decessisse putandus est.

L. Aquilius M.' f. M.' n. Florus.

CIL III Suppl. p. post. n. 14202[4]: in via Epheso Sardes ad vicum Teira chil. XXIV ab Epheso.

m.' AQVILLlus m.' f. cos.
μANIOς AKYΛΛΙος μανΙΟΥ ΥΙΟΣ ὕπατος Ῥωμαίων
m.' AQVILLIVS m.' f. m.' N. FLORVs q
RESTITVit xxi III
sic] *λεΥΚΙΟΣ AKYIOς μαΝΙΟΥ ΥΙΟΣ*
μΑΝΙΟΥ ΑΕ ΥΙωνος φλωΡΟΣ ΤΑΜΙΑΣ
ΑΠΟΚΑΤΕΣτησεν
ΚΑ

---

1) Plut. Ti. Gracch. 7, 1 sqq.
2) Plut. C. Gracch. 1, 2.
3) Polyb. VI 19, 4.
4) Liv. XXV 5, 7 sq.
5) Lange Röm. Altertümer I³ 708; cf. Mommsen Röm. Staatsrecht I 415; Nipperdey Die leges annales der römischen Republik 9.
6) p. 12.
7) Flor. III 2, 6.
8) De gente Fabia (Leyden 1856) 402; cf. 233; 389.
9) Vell. II 4, 2.

Ib. n. 14201[11] (ad n. 479): in lapide mill. prope locum, quo Tralles fuerunt.

L. AQuillius m.' f. m.' n. FLORus q restituit

ΛΕΥΚΙΟΣ ἀκύλλιος μανίου υἱΟΣ Μανίου
υἱωνὸς φλῶρος ΤΑΜίας ἀποκατέστησεν.

Cf. CIL I n. 557; Rev. de philol. XXIII (1899) p. 295.

M.' Aquilius Lucii pater bellum Aristonici, qui Asiam, cum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet, occupaverat, a. 625 = 129 cos. confecit. Asiam, in qua usque ad a. 628 = 126, quo ex ea triumphavit, cum imperio proconsulari remansit, senatus iussu in provinciae formam redegit. Tunc vias publicas munivit[1]). E lapidibus milliariis Lucium patri proconsuli quaestorem fuisse atque eius iussu vias refecisse apparet[2]). — Nomen Aquilius in inscriptionibus nummisque antiquorum temporum semper fere simplici littera L scribitur. Aquilii autem Graece audiebant *Ἀκύλλιοι;* in nominibus enim propriis Latinis, quae in — ilius exibant, a Graecis littera consonans L saepe geminabatur.

C. Sempronius Ti. f. P. n. Gracchus.

Gell. XV, 12: C. Gracchus cum ex Sardinia rediit, orationem ad populum in contione habuit. Ea verba haec sunt: Versatus sum in provincia, quomodo ex usu vestro existimabam esse, non quomodo ambitioni meae conducere arbitrabar. Nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia facie stabant, et in convivio liberi vestri modestius erant quam apud principia. — Post deinde haec dicit: Ita versatus sum in provincia, ut nemo posset vere dicere assem aut eo plus in muneribus me accepisse aut mea opera quemquam sumptum fecisse. Biennium fui in provincia. Si ulla meretrix domum meam introivit aut cuiusquam servulus propter me sollicitatus est, omnium nationum postremissimum nequissimumque existimatote ...... Atque ibi ex intervallo: Itaque, Quirites, cum Romam profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes rettuli. Alii vini amphoras, quas plenas tulerunt, eas argento repletas domum reportaverunt.

Cic. Brut. 28, 109: Fuit ...... M. Lepido L. Oreste consulibus quaestor Gracchus.

Plut. C. Gracch. 1, 3: *Συντυγχάνει δὲ ἀπὸ ταὐτομάτου λαχεῖν αὐτὸν εἰς Σαρδὼ ταμίαν Ὀρέστῃ τῷ ὑπάτῳ.*

Ibid. 2, 2 sqq: *Ἔπειτα δόγμα ποιοῦνται ..... τὸν δὲ Ὀρέστην ἐπιμένειν, ὡς δὴ καὶ τοῦ Γαΐου διὰ τὴν ἀρχὴν παραμενοῦντος. Ὁ δέ, τούτων αὐτῷ προσπεσόντων, εὐθὺς ἐξέπλευσε πρὸς ὀργὴν καὶ φανεὶς ἐν Ῥώμῃ παρ' ἐλπίδας οὐ μόνον ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν αἰτίαν εἶχεν, ἀλλὰ καὶ τοῖς πολλοῖς ἀλλόκοτον ἐδόκει τὸ ταμίαν ὄντα προαποστῆναι τοῦ ἄρχοντος.* — (Tum accusatus) *ἐστρατεῦσθαι μὲν γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐξ ἀνάγκης, ταμιεύων δὲ τῷ στρατηγῷ παραμεμενηκέναι τριετίαν, τοῦ νόμου μετ' ἐνιαυτὸν ἐπανελθεῖν διδόντος.*

Cf. Plut. Gracch. comp. 3.

[Aur. Vict.] de vir. ill. 65, 1: Gaius Gracchus pestilentem Sardiniam quaestor sortitus non veniente successore sua sponte decessit.

C. Gracchus fuit is, qui tumultus domesticos plebis excitavit et a L. Opimio interemptus est. Exitu a. 600 = 154 vel initio subsequentis natus[3]) a. 617 = 137 ad Numantiam in castris Romanis stipendia meruit. A. 621 = 133 lege Sempronia lata III vir agris dandis assignandis factus per insequentes quoque annos munere continuato functus est. A. 627 = 127 duodecim stipendiis confectis quaestor creatus Non. Dec. magistratum iniit. L. Caelius Antipater ap. Cic. de div. I 26, 56 Gracchum primo rem publicam capessere veritum, deinde ut primum honorum gradum ascenderet, tantummodo somnio adductum esse memoriae tradidit; quod quam verum sit, apparet[4]). In sortitione provinciarum quaestoriarum ei Sardinia obtigit. Ubi cum seditione orta et imperio et exercitu consulari opus esset, L. Aurelius Orestes a. 628 = 126 cos. bellum suscipere iussus est. Gracchus antequam eo se conferret, M. Iunii Penni rogationem, qua omnes et Latini et peregrini ex urbe expellerentur, oratione

---

[1]) P. Foucart La formation de la Prov. Rom. d'Asie = Mémoires de l'Inst. Nat. de France XXXVII 1 p. 330 sqq.

[2]) V. Chapot La prov. Rom. procons. d'Asie = Bibliothèque de l'école des hautes études CL p. 13; 319; 361 sq.

[3]) Plut. Ti. Gracch. 3; C. Gracch. 1, 2.

[4]) Cic. de har. resp. 20, 43; Plut. C. Gracch. 1, 4; Val. Max. I 7, 6; Schol. Bob. 365 Or.

dissuasit; in illis enim magnum sibi auxilium ad imminuendam optimatium potentiam atque auctoritatem futurum esse sentiebat; sed nequiquam: lex perlata est[1]). Exinde una cum Oreste in Sardiniam navigavit. Optimates eum per annum procul ab urbe esse gaudebant. Sed absens quoque popularium gratiam in se convertit[2]). Bello enim prospere gesto[3]) hiems aspera et morbida esse coepit, cum insuper insulae aer pestilens esse ferretur. Tunc consul civitatibus orae maritimae sociis vestimenta militaria imperavit. Legatis earum, qui Romam missi sunt, imperata deprecantibus senatus non defuit; immo consuli, ut aliunde vestitum compararet, mandavit. Iam milites in angustias adducebantur. Ne ad ultimam inopiam redigerentur, Gracchus gratia, quam pater Ti. cos. a. 577 = 177 apud Sardos sibi conciliaverat, confisus sua sponte cum eis egit: quod consuli abnuerant, quaestori adnuerunt. Plutarchus in ea re narranda popularium partium auctores secutus esse videtur. Nec minus hanc quoque narrationem Gracchi gratia exornatam esse arbitror. A Numidarum enim rege Micipsa a. 629 = 125 nuntios Romam ad senatum venisse, qui eius nomine frumentum in Sardiniam militibus, ut Graccho gratum fieret, submissum iri pollicerentur; veniam petentibus senatum, utpote qui Gracchi nimiam apud populum auctoritatem vereretur, non dedisse[4]). Res ipsa vera esse videtur, sed nihil ad nostrum. Ceterum ut inopiam, qua illis temporibus exercitus Romani premi posse videbantur, sublevaret, a. 631 = 123 trib. pl. legem Semproniam militarem tulit[5]). — In a. 630 = 124 patres Oresti, qui iam antecedenti anno una cum Graccho tum proquaestore remanserat, iterum imperium prorogaverunt neque Gracchо successorem miserunt. Ita hunc annum etiam tertium procul ab urbe tamquam in exsilio retentum iri confidebant. At Gracchus, qui ei succederet, non veniente adversus senatus consultum e Sardinia decessit[6]), prius quam Orestes, qui VI. Id. Dec. a. 632 = 122 ex ea triumphum egit. Tertium igitur quaesturae annum agens a. 630 = 124 fere medio populo acceptissimus[7]) redux factus est. Tum quaestio de Fregellanis, qui a. 629 = 125 a Romanis defecerant[8]), habebatur. Optimates hoc egerunt, ut Gracchus tumultus excitandi causa socios e provincia sua sollicitavisse argueretur. L. Opimio praetore iudicium exercente reus factus est, sed oratione crimen propulsavit[9]). Tamen eum iterum lacessiverunt; iam ne in senatorium ordinem legeretur, efficere studebant. Illis enim temporibus mos erat, ut quaestores, qui praetoribus provinciarum additi erant, apud eos per totum praeturae tempus manerent ac demum eo exacto simul cum iis in Italiam reverterentur[10]). Quod Gracchus ante Orestis reditum e quaestura Sardiniensi sua sponte decessit, etsi non lege vetitum erat, tamen prorsus ab usu vitaque communi abhorrebat, ita ut potestate abusus videretur. Itaque a censoribus Cn. Servilio Caepione et L. Cassio Longino Ravilla, qui a. 630 = 124 extremo sub lustrum equites recognoverunt et senatum legerunt, apud ipsos causam dicere iussus est[11]). Sed oratione habita splendidissima crimine se purgavit, teste Plutarcho. Fuerunt qui auctorem διετίαν cum τριετίαν confudisse conicerent. Gracchus ipse in oratione ad populum habita (ap. Gell.) se biennium in provincia versatum esse dicit. Sed coniectura opus non est. Plutarchus duobus magistratus annis annum, quo revertit, adnumeravit. Gracchum crimine solutum a censoribus in senatum receptum esse conici licet. In a. 631 = 123 tribunus plebis renuntiatus est.

M. Livius C. f. Drusus.

[Aur. Vict.] de vir. ill. 66, 3: Marcus Livius Drusus ...... quaestor in Asia nullis insignibus uti voluit, ne quid ipso esset insignius.

M. Livius M. f. C. n. Drusus, qui in tribunatu plebis a. 663 = 91 occisus est, fuit *senatus propugnator atque illis quidem temporibus paene patronus*[12]). Eius cursus honorum exhibetur

---

1) Cic. de off. III 11, 47; Fest. p. 286; Cic. Brut. 28, 109.
2) Plut. C. Gracch. 2, 2.
3) Liv. ep. LX.
4) Plut. C. Gracch. 2, 1 sq.
5) Plut. ib. 5, 1; cf. Klimke Die ältesten Quellen zur Geschichte der Gracchen (Beuthen O.-S. 1886) p. 23.
6) [Aur. Vict.] ib.
7) Diodor. XXXIV 47.
8) Liv. ep. ib.; Obseq. 90.
9) Plut. C. Gracch. 3, 1; [Aur. Vict.] ib. 2; Prisc. X 21 p. 513 H.
10) Mommsen Röm. Staatsrecht II 500.
11) Plut. C. Gracch. 2; Cic. orat. 70, 233; Charis. p. 80 K.; cf. Meyer Orat. Rom. frgg.² 230 sqq.
12) Cic. pro Mil. 7, 16.

CIL I.² 199 n. 30: *M. Livius M. f. C. n. Drusus pontifex tr. mil. Xvir stlit. iudic. tr. pl. Xvir a. d. a. lege sua et eodem anno Vvir a. d. a. lege Saufeia in magistratu occisus est.* Quia de quaestura siletur, Drusus ea functus non est. At [Aur. Vict.] Drusum quaesturam in Asia gessisse tradit. Contra Nipperdeium leg. ann. 37, qui de eius fide omnino dubitavit, Ziegler[1]), cum discrepantiam expedire studeret, fieri sane potuisse ratus est, ut in elogio litterae *q.* et *aed.* post illud *Xvir stlit. iudic.* in margine incisae perirent. Nec suspicio in scriptorem hinc movetur, quod magistratuum ordinem sane inauditum exhibet. Quod Drusus aedilitatem ante tribunatum gessit — in eo occisus est — quamquam mirum videtur, tamen Nipperdeius recte sic explanavit, ut Drusum, cum primo tribunatum praeterire voluisset, post aedilitatem, ut rogationes suas promulgaret, petivisse statueret. Ziegler ipse quod lacunam in lapide esse coniecit, non urget. Equidem a scriptore quaesturam aedilitatemque tribuno a. 663 = 91 non recte attributas esse cum Nipperdeio censeo; immo duo M. Livii Drusi perperam confusi diiungendi sunt. In filium delatum est, quod ad patrem referendum erat. Ab huius enim indole, cui idem nomen erat atque eadem de re publica sententia[2]), quod supra de quaestura Asiatica citatum est, alienum non esse videtur. — Pater paulo postquam e provincia decessit, a. 632 = 122 tribunatum plebis gessit et in eo, quod senatus causam contra C. Gracchum egit, aeque ac postea filius patronus senatus appellatus est. Ex consulatu a. 642 = 112 gesto Macedoniam obtinuit et Scordiscos vicit.

M. Annius P. f.

Romani postquam Macedoniam provinciam fecerunt, cum barbaris finitimis, ut eorum incursiones propulsarent, saepius proeliis contenderunt. Saevissimi omnium fuerunt Scordisci Thraciae[3]), qui inde a Persei regis temporibus Thraciam et Macedoniam bello latrociniisque vexare non destiterunt. Postea mota sunt arma in illis regionibus a Cimbris. Priusquam enim a. 641 = 113 ad Noreiam primum cum Romanis congressi sunt, magnae eorum manus populabundae in Scordiscorum fines invaserunt. Eadem aetate Scordisci, quibus fortasse Cimbrorum quoque copiae se adiunxerant, in Macedoniam impetum fecerunt; annus, quo invaserunt, fuit 636 = 118. M. enim Annius ob res, quas tum quaestor prospere gessit, a senatu civitateque Letensi summis laudibus elatus est. Titulus, qui eo pertinebat et in statuae basi inscriptus legebatur, nuper *in vico Aïvati quattuor fere horarum spatio a Thessalonica septentrionem versus sito* repertus est; Leta oppidulum, ut e geographorum antiquorum testimoniis apparet, urbi vicinum fuit. Editus est ex ectypo a L. Duchesne Rev. archéol. XXIX (1875) p. 6 sqq; cf. E. Miller ib. p. 176 sqq; Dittenberger Syll. inscr. Gr.² n. 318; G. Zippel D. röm. Herrsch. in Illyrien (Leipzig 1877) p. 142 sqq. Apud Zippelium, quem sequor, hunc in modum contractus legitur:

Ἔτους θ' καὶ κ' Πανήμου κ'.
Ληταίων οἱ πολιτάρχαι προβουλευσαμέ-
νων τῶν βουλευτῶν εἶπαν · ἐπεὶ Μάαρκος Ἄννιος Πο-
πλίου υἱός, ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθός, ἀποσταλεὶς ταμίας
ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων ἐπὶ τὰ κατὰ Μακεδονίαν πράγμα-
τα . . . .
ἐν δὲ τῷ παρόντι καιρῷ καὶ τοῦ τῶν Γαλα-
τῶν ἔθνους συναχθέντος καὶ ἐπιστρατεύσαντος εἰς τοὺς κα-
τὰ Ἄργος τόπους στρατοπέδῳ μείζονι, ἐφ' οὓς καὶ ἐκπορευθέ[ν-
τ]ος Σεξτοῦ Πομπηίου τοῦ στρατηγοῦ καὶ παραταξαμένου μετὰ
τ]ῶν ἰδίων στρατιωτῶν, ὃν καὶ συμβάντος ἐν τῇ μάχῃ τελευτῆσαι,
θλιβομένων τε διὰ τὴν αἰτίαν ταύτην τῶν στρατιωτῶν ἐπεξελ-
θὼν Μάαρκος ὁ ταμίας ἔχων τοὺς ὑφ' ἑαυτὸν τεταγμένους ἐτρέ-
ψ]ατο τοὺς ὑπεναντίους καὶ τοῦ τε πτώματος ἐκράτησεν καὶ πο[λ-
λοὺς αὐτῶν ἀπέκτεινεν, ἐκυρίευσεν δὲ καὶ ἵππων καὶ ὅπλων πλε[ι-
όνων, τῶν τε ἐν τοῖς προκειμένοις τόποις φρουρῶν προνοηθεὶς τῆς

---

1) Fast. trib. pleb. (Ulm 1903) 16; cf. CIL ib.
2) Cic. Brut. 28, 109; de or. III 1, 2; Suet. Tiber. 3; Plut. C. Gracch. 8, 3.
3) Flor. III 4, 3.

σωτηρίας μετεπέμψατο εἰς τὴν παρενβολήν · μετ' οὐ πολλὰς δὲ ἡμέρας ἐπισυναχθέντων τῶν Γαλατῶν ἱππέων ἔτι πλειόνων κ[αὶ συνεπελθόντος μετ' αὐτῶν Τιπάτου τῶν Μαίδων δυνάστου μετ' ὄχλ[ου π]λείονος, ἔστεξεν τὴν ἐπιφερομένην τῶν βαρβάρων ὁρμήν, καὶ ἑτέ-ρ]ους μὲν στρατιώτας ἐπὶ συμμαχίαν παρὰ τῶν Μακεδόνων οὐ κέκρικε μεταπέμψασθαι διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι θλίβειν τὰς πόλεις τοῖς ὀψωνίο[ις, προελόμενος δὲ μένειν τοὺς ὄχλους ἐπὶ τῶν ἔργων, ἐκπορευθεὶς μεθ' ὧν εἶχεν ἐν τῇ παρεμβολῇ στρατιωτῶν καὶ οὐθένα κίνδυνον οὐδὲ κα[κο-παθίαν ὑποστειλάμενος παρετάξατο καὶ ἐνίκησεν τοὺς πολεμίους μά-χῃ μετὰ τῆς θεῶν προνοίας, καὶ πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἐν χειρῶν νομαῖς ἀπέκτεινεν, οὓς δὲ ζωγρίᾳ συνέλαβεν, ἵππ[ω]ν τε καὶ ὅπλων πολλῶν ἐκυ[ρί-ε]υσεν. καὶ ἐκ τοῦ τοιούτου τρόπου διακατασχὼν τὰ πράγματα εὐψύχως π]επείραται τοῖς διαδεξαμένοις[1]) τὴν ἐπαρχείαν ἀκαταφθόρους πάντα[ς τοὺς ἐν τῇ χώρᾳ διατηρήσας ἐν εἰρήνῃ τε καὶ ἐν τῇ καλλίστῃ παραδοῦ-ναι ὄντας καταστάσει

. . . .

*δι' ὃ δεδόχθαι Ληταίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δ[ή-μῳ, ἐπαινέσαι τε Μάαρκον Ἄννιον Ποπλίου, ταμίαν Ῥωμαίων, καὶ στεφα-νῶσαι αὐτὸν χάριν τῶν πεπραγμένων θαλλοῦ στεφάνῳ . . . . . .
ἑλέσθαι δὲ καὶ πρεσβευτάς, οἵτινες πορευ-θέντες πρὸς αὐτὸν καὶ ἀσπασάμενοι παρὰ τῆς πόλεως καὶ συνχαρέντες ἐπὶ τῷ ὑγιαίνειν αὐτόν τε καὶ τὸ σ[τ]ρατόπεδον τὸ ψήφισμα ἀποδώσου-σιν . . . .*

Decretum secundum annorum rationem in provincia Macedonia observatam datum est vicesimo die mensis Panaemi XXIX. anni, i. e. initio mensis Iulii a. 636 = 118; is enim est XXIX. annus provinciae, quae a. 608 = 146 constituta erat. Galatae, qui commemorantur, iidem fuisse videntur ac Scordisci[2]). E quibus victoriam haud ita multo ante, quam senatus consuleretur, latam esse hinc sequitur, quod decretum est, ut legati ad quaestorem mitterentur, qui ei gratularentur. Galatae cum Romanis ter congressi sunt. Primo proelio Sex. Pompeius eodem anno provinciae praetor in agris, qui prope Argos[3]) siti erant, rem male gessit, ipse cecidit; milites in castra se recipere coacti sunt. Quo mortuo M. Annius quaestor pro praetore imperium et provinciam obtinuit. In tempore cum iam milites Pompeiani graviter ab hostibus premerentur, quaestor milites, quos ipse habebat, ad castra adduxit illosque obsidione liberavit: hostes reiecti sunt. Non multos autem post dies, postquam cum Tipata, Maedorum regulo, se coniunxerunt, denuo Romanos aggressi sunt. Periculum ingens fuisse videtur. Sed iterum non dissimili eventu certatum est: quaestor impetum non solum sustinuit, sed etiam quamquam milites auxiliares a Macedonibus sibi submitti noluerat, tamen acie instructa barbaros fudit fugavitque. Qua eum victoria Scordiscos vagos intra fines proprios repressisse et eo quidem anno continuisse credi licet.

C. Arcellus.

CIL III Suppl. p. pr. n. 7367:

C. CAECILIO
CN. PAPIRIO
COS
C. AARCELLO
PROQ

Titulus in basi marmorea, quae Samothracae reperta est, inscriptus legitur. C. Arcellus a. 641 = 113 pro quaestore in Macedonia fuit.

---

[1]) *διαδεξομένοις* coni. Zipp.
[2]) Duchesne p. 16 sqq.
[3]) Dittenberger ib.

L. Licinius L. f. C. n. Crassus.

Cic. de or. I 11,45: Audivi ... summos homines, cum quaestor ex Macedonia venissem Athenas florente Academia, ut temporibus illis ferebatur.

Ib. II 90, 365: Quaestor ..... audivi ..... et Athenis cum essem, doctissimos viros et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum.

Ib. III 20, 75: Paulum sitiens istarum artium .... gustavi (Crassus), quaestor in Asia cum essem, aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius; et inde decedens, Athenis.

M. Crassus, persona primaria in Ciceronis de oratore libris[1]), eodem[2]) teste *Q. Caepione consule natus* (est) *et C. Laelio, triennio ipso minor quam Antonius,* i. e. a. 614 = 140. Id testimonium certum non infirmatur altero loco Tulliano, de or. II 89, 364, de quo vide Enderlein De M. Antonio oratore 9; Oette De L. Licinio Crasso 10. Eo quadrat, quod Crassus a. 635 = 119 annos natus unum et viginti ad publicas causas accedens primum C. Carbonem in iudicium vocavit[3]); errore captus Tacitus dial. de or. 34 eum nonodecimo aetatis anno causam suscepisse scribit[4]). — Quia illis temporibus Romanis vicesimum septimum vitae annum agentibus quaesturam nancisci licuit, Crassus non ante a. 641 = 113 ea functus est; neque eo ipso anno, quod tum Romae Liciniam Vestalem virginem defendit[5]). Itaque cum maturrime a. 642 = 112 quaesturam nanctus est. Annus, ante quem gessit, est 647 = 107, quo trib. pl. fuit[6]). — Functus est ea in Asia provincia, ubi Metrodorum rhetorem Scepsium disputantem audivit[7]). Inde magistratus anno exacto decedens per Macedoniam — pedestre eum iter fecisse iam Pighius recte vidit — Athenas profectus est. Quo vere insequentis anni biduo post, quam mysteria Eleusinia minora acta erant, advenit. Ubi nisi ab Atheniensibus ea ut referrent, petenti denegatum esset, diutius mansisset. Quamquam igitur Crassus consilio celerius Athenis profectus est, tamen Cicerone teste ibi praeclarissimos Graecorum, qui tum florebant, philosophos audivit[8]); cum Charmada Platonis Gorgiam legit[9]); quod haud facile Ciceroni credamus. — L. f. C. n. fuit[10]). Pater ignotus est.

M. Antonius M. f. M. n.[11])

Val. Max. III 7, 9: M. Antonius ..... quaestor proficiscens in Asiam Brundisium iam pervenerat; ubi litteris certior factus incesti se postulatum apud L. Cassium praetorem, cuius tribunal propter nimiam severitatem scopulus reorum dicebatur, cum id vitare beneficio legis Memmiae liceret, quae eorum, qui rei publicae causa abessent, recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit. Quo tam pleno fiduciae bonae consilio cum absolutionem celerem, tum profectionem honestiorem consecutus est.

M. Antonius, cui primas eloquentiae aequales tribuebant, a. 611 = 143 natus[12]) consulatu a. 655 = 99 functus est. Quaestorem igitur fieri multo ante aut post a. 644 = 110 ei non licuit. Annus ex historia causae, quam ante quaesturam Asiaticam dixit, accuratius concluditur. Quae quo anno acta sit, disquirendum est. Cn. Papirius Carbo, qui a. 641 = 113 cos. a Cimbris in Norico foede fusus erat, ex clade haud dubie a M. Antonio maiestatis reus factus est[13]). Quia atramento sutorio absolutus est, i. e. Manutio interprete, ne condemnaretur, mortem voluntariam sibi conscivit, post a. 641 = 113 in iudicium vocatus est. M. Antonius *primum hoc rudimentum forensis operae*

---

1) I 7, 24.
2) Brut. 43, 161.
3) Cic. de or. III 20, 74.
4) Petersen De causis publicis Romanis (Kiel 1880) 11.
5) Cic. Brut. 43, 160.
6) Ziegler Fast. trib. pleb. 11.
7) de or. II 88, 360.
8) de or. I 11, 45; 13, 57; 20, 93; II 88, 360; cf. Enderlein De M. Antonio oratore (Leipzig 1882) 21.
9) de or. I 11, 47; 20, 93.
10) Ephem. epigr. IV 253; de patre cf. Oette De L. Licinio Crasso (Leipzig 1873) 10 sqq.
11) Ephem. epigr. ib.
12) Cic. Brut. 43, 161; cf. Enderlein 8 sqq.
13) Appul. de mag. 66; Cic. ad fam. IX 21, 3.

deposuit, sc. ut, antequam rem publicam capesseret, populi gratiae sese commendaret[1]). Itaque quaesturam non ante a. 642 = 112 gessit[2]). — A. 641 = 113 Sex. Peducaeus trib. pl. rogationem tulit, qua de incestu virginum Vestalium quaereretur. Lege perlata a populo L. Cassius Longinus, qui quaestioni singulari praeesset, creatus est[3]); cui etiam, cum in M. Antonium incestus reum quaerebatur, praefectus erat. A Valerio enim Maximo L. Cassii tribunal ob *nimiam severitatem scopulus reorum* dictum est, ad quem, qui accusabantur, quasi naufragium facerent. Atqui Longinus a. 641 = 113 quaesitor, qui multum in causis publicis versatus est, summae fuit vir acerbitatis ac saevitiae; unde ab eo Romani severos iudices Cassianos dicere solebant[4]). Valerio igitur teste idem, qui a. 641 = 113 quaesitor creatus erat, etiam insequentibus annis quaestioni praeerat. Attamen difficultas in eo inesse videtur, quod Antonii iudex a Valerio praetor nominatur. L. autem Cassius quidam a. 643 = 111 praetura functus est[5]). Quem Petersenus eundem esse atque quaesitorem negat; hunc enim summis honoribus perfunctum (cos. a. 627 = 127, cens. 629 = 125) eo anno maiorem fuisse natu, quam qui iterum praeturam subiret; a Sallustio autem L. Cassium tum praetorem fuisse apertis verbis tradi; unde effici, ut praetor a quaesitore distinguendus sit. Equidem praetorem Sallustianum quaestionem illam non exercuisse sane concedo; at quod Petersenus anni 643 = 111 praetorem in magistratu Antonii iudicem fuisse vult, ita ut duos L. Cassios alterum post alterum quaestionem de incestu habuisse putet, non probo. Is enim, a quo Antonius in ius postulatus est, fuit L. Cassius Longinus censorius, quaesitor ille severissimus. Quod Valerius eum praetorem appellat, ita interpretamur, ut eum non in magistratu, sed pro magistratu quaestionem fecisse dicere voluerit[6]). Ita fieri potuit, ut causa iam a. 642 = 112 ageretur. Sed ad a. 643 = 111 producimur. Valerius Antonio, quippe qui rei publicae causa abesset, tribunal beneficio legis Memmiae vitare licuisse tradit[7]). Quam legem, quae ad illam tantum de incestu actionem spectabat, C. Memmius haud dubie in tribunatu plebis, quem illo anno gessit, tulit. Eodem anno quaestor fuit; crimine absolutus[8]) in Asiam profectus est.

Sextius.

Sall. bell. Iug. 29, 4: Fidei causa mittitur a consule (L. Calpurnio Bestia) Sextius quaestor in oppidum Iugurthae Vagam. — § 6: Elephanti triginta, pecus atque equi multi cum parvo argenti pondere quaestori traduntur.

Sextius L. Bestia a. 643 = 111 cos. quaestura functus est. Qui bellum in Numidia cum rege Iugurtha suscipere a senatu iussus initio acriter gessit; sed mox Iugurthae pacem concessit, quam patres cum iniussu suo atque populi fecisset, ratam non esse decreverunt. Tunc Sextius a consule in oppidum Numidarum Vagam missus est, ut frumentum, quod Iugurthae legatis imperatum erat, acciperet. Sallustius quaestorem ut Iugurthae fidem faceret, i. e. quasi obsidis loco esset, missum esse opinatur. — Estne P. Sestius, qui praetor designatus a. 654 = 100 accusante T. Iunio damnatus est ambitus[9]) ?

L. Cornelius L. f. P. n. Sulla Felix.

Plut. Mar. 10: *(Βόκχος μετεπέμψατο) Λεύκιον Σύλλαν, ταμίαν μὲν ὄντα Μαρίου, χρήσιμον δὲ τῷ Βόκχῳ γεγενημένον ἐπὶ στρατείας.*

Plut. Sull. 3: *Ἀποδειχθεὶς .. ταμίας ὑπατεύοντι Μαρίῳ τὴν πρώτην ὑπατείαν συνεξέπλευσεν εἰς Λιβύην πολεμήσων Ἰογόρθαν.*

Plut. praec. ger. rei p. 12: *Ὁ ... Σύλλας, ὅτε τῷ Μαρίῳ στρατηγοῦντι συνῆν ταμιεύων ἐν Λιβύῃ, πεμφθεὶς ὑπ' αὐτοῦ πρὸς Βῶκχον ἤγαγεν Ἰογόρθαν αἰχμάλωτον.*

---

1) Appul. ib; Cic. de off. II 14, 49.
2) Petersen De causis publicis Romanis 148.
3) Ascon. p. 46 Or.
4) Cic. p. Cluent. 38, 107; Brut. 25, 97; p. Sex. Rosc. 30, 84.
5) Sall. Iug. 32.
6) Mommsen Röm. Strafrecht 647; Röm. Staatsrecht II 628 sqq.
7) cf. Mommsen Röm. Strafrecht 353; A. W. Zumpt D. Kriminalprozess d. Röm. Republik 72 sqq.
8) cf. quoque Val. Max. VI 8, 1.
9) Cic. Brut. 48, 180.

Sall. Iug. 95, 1: L. Sulla quaestor cum magno equitatu in castra venit, quos uti ex Latio et a sociis cogeret, Romae relictus erat (a C. Mario).

Ib. 103, 7: (Legati) quaestori mandata Bocchi patefaciunt.

Ib. 106, 1: Volux adveniens quaestorem appellat dicitque se a patre Boccho obviam illis simul et praesidio missum.

Ib. 113, 5: Ubi dies advenit et ei (Boccho) nuntiatum est Iugurtham haud procul abesse, cum paucis amicis et quaestore nostro quasi obvius honoris causa procedit in tumulum facillumum visu insidiantibus.

Liv. ep. LXVI: Iugurtha pulsus a C. Mario Numidia, cum auxilio Bocchi, Maurorum regis, adiutus esset, caesis proelio Bocchi quoque copiis nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere vinctus ab eo et Mario traditus est: in qua re praecipua opera L. Cornelii Sullae, quaestoris Marii, fuit.

App. Numid. frg. 4: (Ad Bocchum missi sunt) *Αὖλός τε Μάλλιος ὁ πρεσβευτὴς καὶ Κορνήλιος Σύλλας ὁ ταμίας.*

Diodor. XXXIV 39: *Βόκχος ..... συνέλαβε τὸν Ἰογόρθαν καὶ δήσας παρέδωκε Λευκίῳ Σύλλᾳ τῷ ταμίᾳ τῷ πρὸς τὴν παράπεμψιν ἐκπεμφθέντι.*

Vell. II 12, 1: C. Marius L. Sullam ...... quaestorem habuit et per eum missum ad regem Bocchum Iugurtha rege ...... potitus est.

Eutrop. IV 27: (Marius) et ipse oppida Numidiae cepit belloque terminum posuit capto Iugurtha per quaestorem suum Cornelium Sullam.

Val. Max. VI 9, 6: L...... Sulla usque ad quaesturae suae comitia vitam libidine, vino, ludicrae artis amore inquinatam perduxit. Quapropter C. Marium consulem moleste tulisse traditur, quod sibi asperrimum in Africa bellum gerenti tam delicatus quaestor sorte obvenisset.

Ib. IX 2, 1 extr.: (L. Sulla) C. Marii, cuius, etsi postea hostis, quaestor tamen aliquando fuerat, erutos cineres in Anienis alveum sparsit.

Ib. VIII 14, 4.

Oros. V 15; [Aur. Vict.] de vir. ill. 75, 2.

Sulla, qui cum C. Mario bellum civile concitavit, cum stipendia meruisset nulla, tricesimum vitae annum agens a. 646 = 108 quaesturam petivit. Creatus sorte Mario cos. obvenit. Qui cum provinciam Africam accepisset bellumque cum Iugurtha gerere a populo iussus esset, quaestorem in Italia reliquit, ubi et Latini nominis et sociorum equites cogeret, ipse vere a. 647 = 107 in provinciam profectus est. Eo anno ad Muluccham flumen, quo Numidia et Mauretania dividebantur, progressus est, ut castellum obsideret. Quo Sulla magno cum equitatu advenit. Primo propter belli imperitiam vitaeque prioris luxuriam consuli invisus mox et consilio et virtute militari acceptissimus fuit. Quibus artibus brevi consulis militumque gratiam sibi conciliaverit, Sallustius 96 describit. Equitatui praefectus est. Mox occasionem rei bene gerendae nanctus est. Exercitum enim in hiberna proficiscentem Iugurtha et Bocchus, Mauretaniae rex, haud longe ab oppido Cirta tanto impetu invaserunt, ut prope iam partam victoriam opinarentur. At Sulla, qui cum equitibus in dextro cornu erat, repulsis qui ei obviam facti erant, opprimens a latere Bocchum in fugam coniecit, rem Romanam restituit. Tum hostes undique fusi [1]). Autumno a. 647 = 107 Romani Cirtam pervenerunt. Ubi brevi post cum legati Bocchi a Mario petivissent, ut duos pacis internuntios ad eum mitteret, ille Sullam una cum Manlio legato proficisci iussit. Ad regem cum venissent, quaestor orationem habuit callidissimam, quae a Sallustio tradita est. Sed quoniam tunc Iugurthae sive gratia sive pecunia apud Bocchum plus valebat quam quaestoris Romani cum gravitas tum facundia, Sulla infecta re rediit. Legionibus in hibernis interea collocatis Marius cum parte exercitus Turrim Regiam expeditionem facere constituit. Quae quia extra provinciam erat, cum qui vice sua fungeretur, ei opus esset, more vetusto quaestorem elegit, qui dum ipse abesset, pro praetore cum imperio hibernis praeesset [2]). Tum iterum legati a Boccho ad Romanos de pace missi sunt. Qui cum in itinere a Gaetulis intercepti ac direpti essent, a Sulla ut gratum regi faceret, benigne excepti sunt [3]). Circiter quadraginta dies Uticae, ubi ille erat, opperiebantur. Tum a Mario, qui interim redierat, Cirtam cum Sulla venire iussi sunt; indutias, quas postulabant, impetraverunt. Quibus rebus cognitis Bocchus per litteras a Mario petivit, uti iterum

1) Sall. 96; 98; 100; 101.
2) Sall. 103.
3) App. Numid. frg. 5; Sall. ib; Plut. Sull. 3.

Sullam, cuius in se studium expertus esset, ad se mitteret, et impetravit. Sulla cum parvo praesidio profectus in itinere ipsum Iugurtham incolumis effugit; paucis diebus post ad Maurum pervenit. Quem nisi Iugurtha tradito pacem et populi Romani amicitiam nancturum esse negavit. Rex animo dubius erat. Tamen post varias tergiversationes cum eum belli infeliciter gesti pigeret, Iugurthae insidias paravit. Ex insidiis captum Sullae tradidit, qui eum ad Marium deduxit. Ita Sulla bello finem attulit sub exit. a. 648 = 106 vel init. a. sequentis[1]. Ante Marium, qui ad finem a. 649 = 105 in provincia remansit, Romam revertit. — Gloria Iugurthae capti bellique confecti e iure publico ad proconsulem pertinuit[2]. Quam Sulla sibi vindicavit[3]. Postea demum inimicitiae illae implacabiles ortae sunt, quibus paulatim intumescentibus postremo paene totum rei publicae fundamentum concussum est[4]. — Cognomen Sullae = Surulae tamquam ὑποκοριστικὸν a Sura derivavit Mommsenus (ap. Borghesi Oeuvr. compl. I 163).

L. Appuleius Saturninus.

Cic. p. Sest. 17, 39: Nec mihi res erat cum Saturnino, qui, quod a se quaestore Ostiensi per ignominiam ad principem et senatus et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur.

Ib. har. resp. 20, 43: Saturninum, quod in annonae caritate quaestorem a sua frumentaria procuratione senatus amovit eique rei M. Scaurum praefecit, scimus dolore factum esse popularem.

Diodor. XXXVI 12 (= frg.): Ὅτι Σατορνῖνος ὁ δήμαρχος ζηλώσας βίον ἀκόλαστον καὶ ταμίας ὑπάρχων εἰς τὴν ἐξ Ὠστίας εἰς τὴν Ῥώμην τοῦ σίτου παρακομιδὴν ἐτάχθη. Διὰ δὲ τὴν ῥαθυμίαν καὶ φαυλότητα τῆς ἀγωγῆς δόξας κακῶς προεστάναι τῆς προειρημένης ἐπιμελείας, ἐπιτιμήσεως ἔτυχε προσηκούσης. Ἡ δὲ σύγκλητος παρελομένη τὴν ἐξουσίαν, παρέδωκεν ἄλλοις τὴν ἐπιστασίαν ταύτην.

Septimo a. u. saeculo saepius periculum erat, ne cives urbis caritate annonae orta inopia ac fame premerentur. Ad quam levandam cum iusti magistratus non sufficerent, extra sortem curatores frumento emundo dispertiundo creabantur. Prima M. Aemilii Scauri curatio extraordinaria a scriptoribus commemoratur. — Ad rem frumentariam praecipue quaestura Ostiensis, provincia peculiaris, magni momenti erat; Ostiam frumentum Africanum vel Siciliense advehebatur, unde in urbem perveniebat. Inter a. 647 = 107 et 650 = 104 Saturninus eam obtinuit. In caritate annonae satis negligenter[5] se gessit. A senatu igitur ei cura rei frumentariae abrogata et tamquam munus extraordinarium ad Scaurum, summum civitatis virum, principem senatus, delata est[6]. Saturninus quaesturam gessit post a. 646 = 108, quo censores magistratu perfunctos in senatum legerunt. Si antea gessisset, a censoribus in eum receptus esset[7]. Sed etiam a. 652 = 102, quo novi censores lustrum condiderunt, tantum ius sententiae dicendae apud patres ut tribunicius habebat[8]. Ita quaesturam post a. 646 = 108 nanctus est, tardissime a. 650 = 104; quaestura enim ante tribunatum pl., quem a. 651 = 103 gessit, administrari solebat[9]. — Fortasse ante quaesturam IIIvir a. a. a. f. f. denarios signavit[10]. A. 654 = 100 trib. pl. II fuit; hoc anno publice interfectus est.

Cn. Pompeius Sex. f. Cn. n. Strabo[11].

Cic. div. in Caecil. 19, 62 sq: Neque fere umquam venit in contentionem de accusando, qui quaestor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum neque Cn. Pompeio in T. Albucium: quorum nemo propter

[1] Plut. Mar. 10; Sull. 3; Sall. 102–113; App. ib. 4 sq; Val. Max. VIII 14, 4; Flor. III 1, 17.
[2] CIL I² p. 195 el. XVIII; Vell. II 12, 1; Diodor. XXXIV 39.
[3] De anulo Sullae cf. Plut. Sull. 3; Mar. 10; Val. Max. VIII 14, 4; Plin. hist. nat. XXXVII 9. — De simulacro Bocchi cf. Plut. Sull. 6; Mar. 32. — De nummis Fausti Sullae cf. Cohen Descript. gén. des monnaies de la rép. Rom. 108.
[4] Th. Lau L. Cornelius Sulla, eine Biographie (Hamburg 1855) 76 recte Sullam a Mario ipso legatum contra Cimbros delectum esse monet.
[5] Ceterum auctores, qui Saturnini memoriam tradiderunt, optimates fuerunt.
[6] Hirschfeld D. Kais. Verwaltungsbeamten² 230; Mommsen Röm. Staatsrecht II 614 sq.
[7] Mommsen ib. III 858 sq.
[8] Willems Le sénat de la rép. rom. I 231; cf. Mommsen ib. I 156; II 296.
[9] Mommsen ib. I 453; cf. 435.
[10] Mommsen Gesch. d. röm. Münzw. 557.
[11] Fast. cons. ad a. 665 = 89.

nomen gentilicium[1]) petitum a Norba Volscorum oppido[2]). — Interdum nostro Bulbi vel Balbi cognomen inditur. Pulbus cognominatur ab uno chronographo, qui dicitur, anni 354[3]), cuius in libris mss. consules a. 671 = 83 Asiaticus et Pulbus nominantur. Quia in gente Iunia, e qua Norbanum ortum esse multi priorum temporum viri docti sibi persuaserunt, Pulli cognomen occurrit — consul a. 505 = 249 fuit C. Iunius Pullus — iam chronographum eiusdem sententiae cum esset, nostro Pulli cognomen indidisse, sed librarium levi dumtaxat corruptela Pulbum fecisse conici liceat.

L. Philo.

Cic. div. in Caecil. 19,62 sq: Neque fere umquam venit in contentionem de accusando, qui quaestor fuisset, quin repudiaretur. Itaque ...... L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas (non) est data.

Cf. Ps.-Ascon. p. 123 Or.

L. Philo ut sibi C. Servilii, cui quaestor fuerat, nomen deferre liceret, a praetore petivit; sed cum duo vel plures simul accusationem peterent, quinam magis ad accusandum idoneus esset, disceptari oportuit; qua in actione Philo repulsam tulit; unde tamen non sequitur Servilium omnino non accusatum esse. — Quo anno, qua in provincia Philo quaesturam gesserit, quaerentibus nobis hoc adiumentum suppeditat, quod quis fuerit C. Servilius, summa cum probabilitate dici potest. Serviliorum, qui Gaii praenomine utebantur, temporis ratione habita noster is fuisse videtur, qui a. 652 = 102 in Sicilia L. Licinio Lucullo cum successisset, praetor cum exercitu fuit; neque enim de eo, qui a. 663 = 91 initio belli Marsici praetor vel pro praetore proconsulari potestate Asculi interfectus est, neque de eo, qui a. 666 = 88 praetura functus est, cogitari potest[4]). Atqui Lucullus, qui a. 651 = 103 in Sicilia fuerat, postquam Romam revertit, in quaestione perpetua repetundarum a Servilio quodam Augure postulatus est; convictus cum esset, a iudicibus exsilio multatus est[5]). Quaestio exsistit, num Augur, qui accusavit, idem fuerit atque C. Servilius provinciae praetor, cui Philonem quaestorem fuisse supra dictum est. Ad quam quaestionem neque a Mommseno[6]) neque a Zumptio[7]), sed a Peterseno[8]) recte responsum esse video. Hunc si sequimur, nihil obstat, quominus C. Servilium eundem primum et praetorem et accusatorem fuisse, deinde cognomine Augurem appellatum esse statuamus. — C. Servilius Augur a. 652 = 102 in Sicilia ab Athenione, servorum fugitivorum duce, fusus foede castrisque exutus est. Ut Romam rediit, Luculli nomen ad praetorem detulit. Ex eo tempore inter Licinios et Servilios inimicitiae erant. Augur postea a L. et M. Luculli filiis patris ulciscendi causa in iudicium fortasse perinde ac Verres pecuniarum repetundarum vocatus est. Postulatus autem est propter res in praetura foede gestas et *ὁμοίως Λουκούλλῳ ὕστερον φυγῇ κατεδικάσθη*. Plutarchus Luc. 1 *ἀπέφυγεν ὁ Σερουίλιος* scribit et eum crimine solutum esse voluisse videtur. Contra apud Ciceronem acad. pr. II 1,1 legitur: (L. Lucullus) *admodum adulescens cum fratre ...... paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus;* cf. de off. II 14,50; etiam apud Plutarchum ipsum paulo ante locum citatum haec sunt: *τὸ πρᾶγμα* (accusatio) *λαμπρὸν ἐφάνη Ῥωμαίοις καὶ τὴν δίκην ἐκείνην ὥσπερ ἀριστείαν διὰ στόματος ἔσχον*. Inde Lucullos, summos in dicendo homines, ut Augur condemnaretur, oratione effecisse sequitur. Sc. Plutarchus vocem *fugit,* i. e. in exsilium iit, quam auctor eius Latinus praebebat, Graece vertit *ἀπέφυγεν,* i. e. absolutus est[9]). Causa peracta est post a. 652 = 102, quo in Sicilia fuit, ante a. 664 = 90, quo bellum sociale exarsit[10]). — De Augure haec insuper addere liceat. Idem fuit atque C. Servilius M. f., qui nummos cudit[11]).

[1]) Mommsen ap. Borghesi Oeuvr. compl. I 512.

[2]) Hübner ap. Borgh. ib. I 78; Ephem. epigr. II 42 sq; Niebuhr Röm. Gesch. I 616; II 275; Genz D. patrizische Rom (Berlin 1878) 29.

[3]) CIL I² p. 154.

[4]) Klein D. Verwaltungsbeamten d. Provinzen d. Röm. Reichs 56; Holm Gesch. Siciliens i. Altertum III 118; errat Gensicke 2. Sklavenkrieg auf Sicilien 15. — Petersen 56.

[5]) Petersen 54.

[6]) Gesch. d. röm. Münzw. 535 sq.

[7]) Kriminalprozess 475; 480.

[8]) Petersen 56; Lange Röm. Altertümer III 85 sq; 74.

[9]) Petersen ib.

[10]) Plut. Luc. 1; cf. 2.

[11]) Mommsen ib. 553.

Pater fuit P. Servilii Vatiae, cui ex a. 679 = 75 Isaurici cognomen inditum est; is enim C. f. M. n.[1]) fuit patre, qui cum imperio fuerat, natus[2]). — Si C. Servilius, in quem Cicerone teste accusatio vel subscriptio Philoni permissa non est, idem fuit atque Augur, Philo a. 652 = 102 in Sicilia quaestor fuit. — Cognomine Philonis Furii, Publilii, Veturii perinde utebantur.

L. Cornelius Ser. f. Lentulus.

Löwy Inschriften griech. Bildhauer n. 250:

Λεύκιον Κορνήλιον Σερουίου υἱὸν Λέντελον
ταμίαν Ῥωμαίων Ἰταλοὶ καὶ Ἕλληνες
Δημόστρατος Δημοστράτου
Ἀθηναῖος ἐποίει.

Cf. Bull. de corr. hellén. IV 189 sqq; VIII 133.

Inscriptio Deli in statuae basi reperta est. Tempus, quo fere Lentulus quaesturam gesserit, hinc colligitur. Idem Demostratus artifex Atheniensis Ammonii cuiusdam flaminis Apollinis Delici statuam fecit (Löwy n. 251). Qui sacerdotio praeerat a. 652—653 = 102—101[3]). Cui temporis definitioni litterarum, quae in basi inscriptae leguntur, forma ac ductus apte quadrat. Eadem fere aetate Lentulus quaestor fuit. Postquam e provincia decessit, qui Deli negotiabantur, et Itali et Graeci, ei honoris gratia vulgato e more statuam exstruxerunt. Quia insula ab a. 588 = 166, quo a Romanis Atheniensium civitati attributa erat[4]), perpetuo cum ea coniuncta fuit, Macedoniae quaestor fuit. Achaia enim ex a. 608 = 146, quo concilium Achaeorum a Romanis devictum est, quamquam in provinciae formam redacta erat, tamen Macedoniae praetori administranda adiuncta est[5]). — An in Asia quaesturae praefuit?

Bruttius Sura.

Mommsen Gesch. d. röm. Münzw. 375:

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ · Θ · SVVRA · LEG · PRO · Q

Exstant tetrachma Macedonica, quae Sullae temporibus Thessalonicae cusa esse viri docti rei nummariae periti opinantur. Sura, cum alter eiusdem nominis notus non sit, idem fuisse videtur ac Bruttius Sura, qui C. Sentio, provinciae Macedoniae praetori, legatus fuit[6]). Sentius iam a. 662 = 92 praetor ibi fuit[7]); etiam a. 667 = 87, ut infra videbimus, in provincia versatus est. Zumptius (Comment. epigr. II 174; 178) quod eius praeturam usque ad a. 673 = 81 prorogatam esse coniecit, mihi non probavit. — Sentii quaestor aut mortuus aut e provincia egressus aut omnino, cum sociali bello nondum confecto iam Mithridaticum immineret, Roma profectus non erat. Ita Sentio a senatu Bruttius Sura senatorii ordinis vir legatus est, qui illum opera consilioque adiuvaret et, si opus esset, vicariae quaesturae praeesset. Sura a. 666 = 88 et subsequenti in Graecia adversus Mithridatis duces haud improspere pugnavit. Primo Metrophani, classis Ponticae praefecto, se obiecit, ut maris Aegaei insulas, quae ab eo occupatae erant, liberaret; proelio navali illum fudit, insulam Sciathum cepit. Deinde in continenti Archelao, qui pedestribus regis copiis praeerat, cum iam civitates Peloponnesi et Graeciae, ut a Romanis ad Mithridatem deficerent, commovisset, obviam profectus est. Quocum per Boeotiam iter in Thessaliam faciente Sura apud Chaeroneam hieme tribus deinceps proeliis contendit, ut Archelaus ad mare iter convertere cogeretur. Sed cum magnae copiae auxiliares ad eum adducerentur, Bruttius parem se iam non putans hostibus ad Thermopylas recessit[8]). Archelaus Athenas revertit; frustra Sura

---

1) Fast. Cap. ad a. 675 = 79; Act. triumph. Cap. ad a. 666 = 88.
2) Cic. Verr. acc. III 90, 211.
3) Pauly-Wiss. Realencycl. IV 1367 sq.
4) Polyb. XXX 21, 7.
5) Brandis ap. Pauly-Wiss. Realencycl. I 190 sqq.
6) Plut. Sull. 11; App. Mithr. 29.
7) Liv. ep. LXX.
8) Oros. VI 2; Pausan. IX 7, 4; App. l. c; Plut. l. c; cf. omnino Hertzberg Gesch. Griechenlands unt. d. Herrsch. d. Römer I 358 sqq.

Piraeum occupare conatus esse videtur. Iam Graeci arma contra populum Romanum mota depondituri erant, cum Sura a Sulla, qui bello Mithridatis suscepto interea in Graeciam pervenerat, per L. Licinium Lucullum in provinciam Macedoniam recedere iussus est; neque enim Sentio, sed Sullae bellum obtigisse. Ita eum victoriam prope exploratam e manibus dimisisse Plutarchus putat. Contra Appianus Suram ad Chaeroneam cum Archelao dubio eventu conflixisse testatur. Sc. alter scriptorum e popularium, alter ex optimatium partium fontibus hausit. — Sura igitur inter a. 662 = 92 et 667 = 87 rei monetali Macedonicae praefuit. — A Plutarcho gentilicio nomine *Βρέττιος*, ab Appiano *Βρύττιος* vocatur. Bruttii e natione Italica Magnae Graeciae oriundi fuisse videntur. — Cognomen Surae aetate liberae rei publicae in gente Cornelia quoque Lentulorum occurrit.

Q. Sertorius.

Plut. Sert. 4, 1: *Σερτώριος ...... ὅτε πρῶτον (ἐκ τῆς Ἰβηρίας) ἐπανῆκεν εἰς Ῥώμην, ταμίας ἀποδείκνυται τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας, ἐν δέοντι· τοῦ γὰρ Μαρσικοῦ πολέμου συνισταμένου στρατιώτας τε προσταχθὲν αὐτῷ καταλέγειν καὶ ὅπλα ποιεῖσθαι, σπουδὴν καὶ τάχος προσθεὶς τῷ ἔργῳ ..... ἀνδρὸς ἐμπράκτως βιωσομένου δόξαν ἔσχεν.*

Q. Sertorius, qui a. 677 — 682 = 77 — 72 bellum adversus Sullanos sustinuit, bello Cimbrorum ac Teutonum a. 649 — 652 = 105 — 102 Caepione et Mario ducibus primam rei militaris laudem sibi comparavit. Tribunatum militarem in Hispania citeriore T. Didio imperante gessit; qui e consulatu in provinciam a. 657 = 97 profectus est, a. 661 = 93 reversus inde de Celtiberis triumphavit. Sertorius rebus in bello praeclare gestis aditum ad honores sibi patefecit. Cum ex Hispania redisset, continuo quaestor Gallicus factus est; i. e. provincia ei obtigit *ἡ περὶ Πάδον Γαλατία*, quae Ariminum quoque vocabatur. Ubi cum imperio militari erat; neque enim consuli, sed ipsi senatui parebat. A. 663 = 91 vel si tardissime subsequenti, initio belli Marsici, in provincia erat; cuius primum exordium, caedes Asculana, brevi post Id. Sept. a. 663 = 91 factum est. In Gallia rei publicae operam utilem navavit; milites enim auxiliares conscribere armaque comparare a senatu iussus summo studio celeritateque usus est; in proeliis tam manu fortem se praestitit, ut cum maxima pericula subiret, identidem vulneraretur atque etiam oculo altero privaretur[1]).

C. Verres C. f.

Cic. Verr. acc. I 12, 34: Quaestor Cn. Papirio consuli fuisti abhinc annos quattuordecim.

Ib. 13, 34: Quaestor ex senatus consulto provinciam sortitus es. Obtigit tibi consularis, ut cum consule Cn. Carbone esses eamque provinciam obtineres. ..... Profectus est quaestor in provinciam. Venit exspectatus in Galliam ad exercitum consularem. ..... Aversa pecunia publica quaestor consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit.

Ib. 4, 11: Reperiemus ......, quibus probemus istum in quaestura pecuniam publicam Cn. Carboni consuli datam avertisse.

Ib. 30, 77: Nesciebas ab eo Cn. Carbonem consulem, cuius re vera quaestor fuit, non modo relictum, sed etiam spoliatum auxiliis, pecunia, nefarie oppugnatum et proditum?

Ib. III 76, 177: Vidimus huic ab aerario pecuniam numerari quaestori ad sumptum exercitus consularis; vidimus paucis post mensibus et exercitum et consulem spoliatum.

Ib. act. I 4, 11: Quaestura [, primus gradus honoris,] quid aliud habet in se nisi [Cn. Carbonem spoliatum] a quaestore suo pecunia publica nudatum et proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam? sortis necessitudinem religionemque violatam?

Schol. Gronov. p. 387 Or.: (Publicam pecuniam) furatus est, cum quaestor esset Carbonis C. Verres, qui Marianus fuit. Dum erat consul in Hispania, quaestor sublata pecunia publica suum consulem deseruit et ad Sullanas transtulit partes.

Cf. ib. p. 390.

---

1) Plut. ib. 2; Sall. hist. I frg. 88 Maur.

Ps.-Ascon. p. 129 Or.: Carbo, Marianae partis dux idemque consul, desertus Arimini est a quaestore suo Verre, spoliatus pecunia publica, quam quaestor in exercitu de aerario sumpserat, cum ad Sullam ille transiret proditor partium Marianarum. —

Cf. ib. p. 158.

Verres, famosissimus ille Siciliae vexator, quaestor factus consularem provinciam sortitus est, ut cum cos. Cn. Papirio Carbone esset. Qui ter cos. fuit, a. 669 = 85, 670 = 84, 672 = 82. Iterum eo cos. quaestura functus est. Cicero enim Verr. acc. I 14, 37 anno post L. Scipioni a. 671 = 83 cos. M. Pisonem quaestorem obtigisse scribit. Eo quadrat, quod idem in oratione illa, qua se Verrem a. 684 = 70 reum lacessivisse fingit, eum abhinc quattuordecim annos quaestorem fuisse tradit, ib. 12, 34. — Erat tum illa inter Marianos et Sullanos dissensio, qua mox intumescente bellum primum civile ortum est. Carbo Marianae partis dux erat bellumque in Gallia Circumpadana adversus Sullam parabat; Verres postquam stipendium militibus solvendum ex aerario erogavit, ex urbe profectus ad exercitum consularem venit; ubi etiam insequenti anno, in quem Carboni provincia et imperium prorogatum est[1]), remansit. Vere eius anni Sulla Mithridatis bello confecto in Italiam revertit. Verres, qui tum pro quaestore pro Carbone in Hispaniam profecto exercitui praeerat, cum Sullam superiorem bello futurum esse sibi persuasisset, exercitum provinciamque deseruit et ad eum transiit[2]). Qui Verrem secum habere cum nollet, Beneventum misit, ei postea praemium proditionis tribuit: *bona quaedam proscriptorum in agro Beneventano diripienda concessit*[3]). Cicero eum non cupiditate defendendae nobilitatis, sed propter impudentissimum furtum consulem prodidisse affirmat. A. enim 673 = 81 P. Lentulo L. Triario quaestoribus urbanis rationem reddere iussus non potuit; pecuniam publicam sibi attributam omnem fere stipendio a se expensam; quae superesset, H-S sescenta milia, Arimini relictam esse simulavit; hanc quoque aversam esse Cicero suspicatur; Ariminum enim, postquam Carbo inde cessit, a. 672 = 82 oppressum direptumque est; quare Verres postea, cum rationes rettulit, omne furti vestigium deletum esse confidebat. Ceterum pecunia subrepta post victoriam a Sulla requisita non est. — Verres a. 674 = 80 Cn. Dolabellae Ciliciae proconsuli legatus fuit; a quo in locum C. Malleoli quaestoris in magistratu mortui pro quaestore suffectus est. Praetor urbanus fuit a. 680 = 74; e magistratu Siciliam provinciam pro praetore a. 681—683 = 73—71 obtinuit.

M. Pupius M. f. Piso Frugi Calpurnianus.

Cic. Verr. acc. I 14, 37: (M. Piso) quaestor cum L. Scipioni consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est. Quod de republica sensit, ita sensit, ut nec fidem suam nec morem maiorum nec necessitudinem sortis laederet.

Piso fuit ille, qui a Cicerone de fin. V 1, 1 rationem de finibus Peripateticorum explicans inducitur. Quaestor factus sorte L. Scipioni Asiatico a. 671 = 83 cos. obtigit. Vere Sulla bellum civile adversus Cinnanos Marianosque, quorum pro partibus Scipio stabat, susceperat. Quaestor cum nobilium partium esset, omnino in provinciam ad consulem suum non profectus est, contra atque C. Verres, qui anno ante Carbonem deseruerat, v. s. Sulla exercitum Scipionis sine contentione ad suas partes perduxit; Scipionem ipsum dimisit. Ita sortis necessitudine soluta Pisonem in extremum anni ad Sullam se contulisse verisimile fit; eo quidem spectare videntur Ciceronis verba ib. § 37 ex: *Quod de re publica sensit ...... laederet.* — E gente Calpurnia ortus a M. Pupio adoptatus est[4]).

Sequuntur quaestores, qui nescioquo anno fuerunt:

Aesilla[s.

Mommsen Gesch. d. röm. Münzw. 375:

1. *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Θ* — CAE. PR. AESILLAS. Q.
2. *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Θ* — SI. PR. AESILLAS. Q.

---

[1]) App. b. c. I 82; Plut. Pomp. 6, 4.
[2]) cf. praeter locos citatos Ps.-Ascon. 168 Or.
[3]) Cic. Verr. acc. I 15, 38.
[4]) Cic. p. domo 13, 35.

Tetrachma, in quibus nomina et magistratus praetoris quaestorisque populi Romani inscripta leguntur, post a. 608 = 146, quo Macedonia provincia facta erat, ex auctoritate senatus permissu praetoris a Macedonibus cusa sunt; et quidem paulo ante tempora Sullana; vetustiora enim videntur, quam quae a Sura in eadem provincia circiter a. 666 = 88 signata sunt[1]). Eo quadrat, quod post legem Corneliam de magistratibus a. 673 = 81 a Sulla latam non ipso magistratus anno praetores, sed eo praeterito cum imperio propraetorio in provincias proficiscebantur. — *CAE* est compendium cognominis velut Caepionis, Caesaris, *SI* velut Silani, Sisennae[2]). — Aesilla, cuius nomen in utriusque generis nummis occurrit, sub imperio duorum praetorum, quorum alter alteri successisse videtur, quaestura functus est[3]). Qui tamen fuerint praetores, qua e gente orti, dici nequit. Mommsenus Aesillae nomen tamquam *ὑποκοριστικὸν* a nomine gentilicio Aesinatis ab Aesio Umbriae oppido repetito ductum esse existimat. Ceterum nomina propria, quae Latine in litteram A exeunt, Graece S adsumunt, velut Catilina — *Κατιλίνας,* Fimbria — *Φιμβρίας,* Sulla — *Σύλλας;* ita noster quoque Aesilla fuit Romanis, Aesillas Graecis; cf. C. Servilius Axilla trib. mil. cos. pot. a. 335 = 419, C. Cassius Ravilla cens. a. 629 = 125. — Quaesturae annus accuratius circumscribi nequit. Aesilla ceteroquin plane ignotus est; nomen, quod sciam, alibi non reperitur.

M. Aurelius Scaurus.

Cic. div. in Caecil. 19, 62 sq: Neque fere umquam venit in contentionem de accusando, qui quaestor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum neque Cn. Pompeio in T. Albucium.

L. Flacci accusatio, quam Scaurus, ut sibi deferrent, a iudicibus petivit, eiusdem generis fuit atque illa, qua Q. Caecilius Verrem insequi voluit. Unde concludi licet[4]): Scaurus Flacci quaestor eo tempore fuit, quo hic praetor cum imperio in provincia nescioqua erat; Flaccus Romam reversus repetundarum reus factus est[5]). Cuius cum nomen delatum esset, Scaurus se accusatorem constitui oportere contendit; sed quia quaestor rei fuerat, repudiatus est[6]). Scaurum praevaricatione Flaccum crimine liberare in animo habuisse e loco laudato necessario colligi Peterseno non concedo. De causae exitu nihil constat. Quod ad tempus attinet, Cicero eam simul cum causa Albucii, qui c. a. 650 = 104 provinciae praetor fuit[7]), profert. Accuratius describi nequit, quoniam nec de praetura Flacci nec de Scauri quaestura quidquam aliud certi notum est. Scaurus non fuit cos. suff. a. 646 = 108, qui tribus annis post in Gallia a Cimbris occisus est; neque enim annus, quo causa acta est, ab a. 684 = 70, quo Cicero divinationem in Caecilium habuit, nimis removendus est; potius consulis filius fuit et idem atque M. Scaurus, Asiae quaestor, v. i. Ita quaestura eius in Sullae tempora inciderit, quibus duos L. Flaccos praeturam gessisse constat.

M. Aurelius Scaurus.

Cic. Verr. acc. I 33, 85: Nuper M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quominus e fano Dianae servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam evocatus est, quod auctor iniuriae illius fuisse arguebatur.

In urbe Epheso, quae iam liberae rei publicae aetate magistratuum populi Romani sedes fuisse videtur, Scaurus quaestor cum esset Asiae, insigni iniuria a civibus affectus est. Quorum ducem quem fuisse arguebat, Periclem, virum nobilem, magistratus anno praeterito Romam evocavit et in ius postulavit. De tempore nihil constat nisi Ciceronem in oratione, qua se Verrem a. 684 = 70 insecutum esse fingit, nuper Scaurum postulavisse scribere. — Scauri a. 646 = 108 cos. suff. filius fortasse fuit et idem, qui inter a. 645 = 109 et 650 = 104 una cum Cn. Domitio Ahenobarbo et L. Licinio Crasso denarios cudit[8]). Vide, quae de Scauro, Flacci quaestore, supra dicta sunt.

[1]) p. 22.
[2]) Mommsen ap. Borghesi Oeuvr. compl. II 244 sq.
[3]) Mommsen ib. 250.
[4]) Petersen De causis publicis Romanis 52.
[5]) Ps.-Ascon. p. 123 Or.
[6]) Cic. ib. 19, 61.
[7]) p. 20.
[8]) Pauly-Wiss. Realencycl. V 1325.

L. Fulcinius.

Mommsen Gesch. d. röm. Münzw. 375:

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ — ΤΑΜΙΟΥ ΛΕΥΚΙΟΥ ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ

De his nummis atque eiusmodi, qui sequuntur, vide p. 25. Nec de tempore nec de viro quidquam aliud notum est.

C. Poplilius.

Mommsen ib. 375:

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ — ΤΑΜΙΟΥ ΓΑΙΟΥ ΠΟΠΛΙΛΙΟΥ
— — — vel *ΓΑΙΟΥ ΤΑΜΙΟΥ* vel similia

Cf. ib. 294.

De ceteris quaestoris honoribus nihil compertum est.

C. Fundanius.

Mommsen ib. 374; 565:

C. FVNDANius Quaestor
vel C. FVNDA Q.

Denarii sunt et quinarii; quia in thesauro apud Faesulas inter a. 666 = 88 et 670 = 84 sub terra defosso occurrerunt, modo ante signati sunt; et quidem in provincia nescioqua iussu imperioque praetoris. Desunt enim litterae SC, quae a quaestoribus urbanis addi solebant[1]). Quaestor plebeia gente parum nota ortus est. Si Babelonius[2]) Cavedonium secutus illum a. 653 = 101 magistratui praefuisse coniecit, verum id esse posse concedo; sin eundem cum C. Fundanio C. f. a. 682 = 72 trib. pl., Varronis socero, fuisse sibi persuasit, temporis rationem non habuit.

Q. Lutatius Cerco.

Mommsen ib. 374; 545.

Q. LVTATIus Quaestor — CERCO
vel Q. LVTATIus

Nummi extra urbem in provincia aetate liberae rei publicae signati sunt. Quis fuerit quaestor, quo anno munus gesserit, plane ignoramus.

M. .....

Kern Inschriften v. Magnesia p. 121 n. 155: Fragmentum marmoreum Magnesiae repertum:

μΑΡΚΟν — — — —
ΤΑΜΙΑΝ — — — —
ΤΟΝ ΑΡΕτῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας τῆς
ΠΡΟΣ ΤΟν δῆμον

Quaestor, cuius praenomen solum innotuit, secundum litterarum formam ductumque ultimo a. Chr. n. saeculo magistratu in Asia functus est.

[1]) Mommsen ib. 376; cf. 374.
[2]) Descript. des monn. d. l. rép. rom. I 514 sqq.

Tabula provinciarum.

Tabula annorum.

340 = 414	P. Sestius
459 = 295	L. Opimius Pansa
536 = 218	C. Fulvius
	L. Lucretius
537 = 217	Ti. Sempronius Blaesus
538 = 216	L. Atilius
	L. Furius Bibaculus
542 = 212	Cn. Cornelius Lentulus
545 = 209	C. Flaminius
550 = 204	M. Porcius Cato
552 = 202	C. Laelius
560 = 194	L. Postumius Tympanus
564 = 190	C. Furius Aculeo
568 = 186	Q. Fabius
600 = 154	. . Terentius Varro
611 = 143 vel 612 = 142	L. Tremellius Scrofa
617 = 137	Ti. Sempronius Gracchus
620 = 134	Q. Fabius Maximus Allobrogicus
inter 626 = 128 et 628 = 126	L. Aquilius Florus
628 = 126	sq C. Sempronius Gracchus
paulo ante 632 = 122 (?)	M. Livius Drusus
637 = 117	M. Annius
641 = 113	C. Arcellus
inter 642 = 112 et 646 = 108	L. Licinius Crassus
643 = 111	M. Antonius
	. . Sextius
647 = 107	sq L. Cornelius Sulla Felix
inter 647 = 107 et 650 = 104	L. Appuleius Saturninus
c. 650 = 104	Cn. Pompeius Strabo
652 = 102	C. Norbanus
(?)	L. Philo
c. 654 = 100	L. Cornelius Lentulus
inter 662 = 92 et 667 = 87	. . Bruttius Sura
663 = 91 vel 664 = 90	Q. Sertorius
670 = 84	sq C. Verres
671 = 83	M. Pupius Piso Frugi Calpurnianus
incerto anno:	. . Aesilla
	M. Aurelius Scaurus (quaestor L. Flacci)
	M. Aurelius Scaurus (quaestor Asiat.)
	L. Fulcinius
	C. Fundanius
	Q. Lutatius Cerco (?)
	C. Poplilius
	M. . . . . . . (?)

Index alphabeticus.

Hoc indice nomina quaestorum, de quibus in programmate et in dissertatione[1]) egi, conscripsi, ut fastos, quaestorios liberae rei publicae perscrutantibus ea in uno conspectu ponerem.

[1]) De provinciarum Romanarum quaestoribus, qui fuerunt ab a. u. c. 672 usque ad a. u. c. 710, Leipzig 1893. — De quaestoribus Siciliensibus, qui eadem aetate munere functi sunt, ante me egerat Klein D. Verwaltungsbeamten der Provinzen d. Röm. Reichs 147—163.

JAHRESBERICHT.

I. Schulgeschichte.

Mit Schluß des Jahres 1907 sah sich Se. Exzellenz der Herr Staatsminister von Schlieben, der seit Ostern 1906 an der Spitze des Ministeriums des Kultus und öffentlichen Unterrichts gestanden hatte, infolge schwerer Erkrankung genötigt, von seinem hohen Amte zurückzutreten. War die Wirksamkeit Sr. Exzellenz auch nur kurz, so hat doch das höhere Schulwesen durch ihn vielfache Anregung und Förderung erfahren. Die unter seiner Leitung abgehaltenen Rektorenkonferenzen haben sich mit einschneidenden Fragen des Unterrichtswesens beschäftigt — wir erwähnen nur die Gabelung des Primaunterrichts, die gymnasiale Vorbildung der Mädchen, die Anstellung von Schulärzten —, und manches von dem, was in gemeinsamer Beratung festgestellt worden war, ist bereits praktisch erprobt worden oder soll es demnächst werden. Die besten Wünsche des höheren Lehrerstandes begleiteten darum Se. Exzellenz bei seinem Eintritt in den Ruhestand. Er sollte ihn nicht lange genießen; bereits am 8. Februar erlag er seinem Leiden. Seinem Begräbnis, das am 11. Februar unter Teilnahme weitester Kreise in Niedertaubenheim stattfand, wohnten als Vertreter der höheren Schulen die Gymnasialrektoren von Dresden-Neustadt und Zittau und der Berichterstatter bei. Wir rufen dem heimgegangenen Herrn Staatsminister für die wohlwollende Förderung unserer Schulen und unseres Standes unsern aufrichtigen Dank in die Ewigkeit nach.

